

Aphorismi, sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta / ex variis auctoribus collecta.

Contributors

Stoll, Maximilian, 1742-1788.

Publication/Creation

Pavia : B. Comini, 1792.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mvb22jdk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



49962/B

A. XXXIV
18/S





35350

MAXIMILIANI STOLL

S. C. R. A. M. CONS., NOSOCOMII SS. TRINIT.
PHYSICI ORDINARII, ET PROF. PRAX.
MEDICAE P. O.

APHORISMI

SIVE PRAECEPTA MEDENDI GENERALIA
EX PLURIBUS CASIBUS PARTICULARIBUS
ABSTRACTA, EX VARIIS AUCTORIBUS
COLLECTA.

IN NOSOCOMIO PRACTICO VINDOBONENSI

Nova editio accuratior et emendatior.



TICINI MDCCXCII.

Apud Balthassarem Comini
Praesidib. rei lit. permitt.

D. Luigi Longoni



A P H O R I S M I
S I V E
P R A E C E P T A M E D E N D I G E N E R A L I A
E X P L U R I B U S C A S I B U S P A R T I C U L A R I B U S
A B S T R A C T A , E X V A R I I S A U C T O R I B U S
C O L L E C T A .

И МОЛОНЯ
СВЯТОГО ПАМЯТИ СВЯТЫХ
ПРЕДАЧА МЕДАЮЩИХ СВЯТЫХ



§. 1.

Despumatio morbosa materiae, sive, quod idem est, crisis morbi, definito febris tempore fieri solet.

§. 2.

Crises in morbo acuto imparibus ut plurimum diebus salutariter fiunt; quae paribus, fere lethaliter.

§. 3.

Chronici paribus fere tum diebus, tum mensibus terminantur.

§. 4.

Datur consensus quidam inter tibias & pectus.

Inter pudenda & pectus arcani quidam observantur consensus.

§. 5.

Ulcera, cauteria, aliaque tibiarum mala, intempestive aut imprudenter sanata in perniciosos pectoris morbos desinunt.

§. 6.

In morbis pectoris diuretica & pediluvia utilia sunt. Purgantia autem generaliter noxia,

§. 7.

Omnes pleuriticos sanatos vidimus, quibus in interiora auris dolor & exinde suppuratio supervenerunt.

§. 8.

Febres intermitentes, nullis nec digerentibus, nec solventibus, nec febrifugis cedentes remedii, facta venae sectione in salvatella, frequenter sanantur felicissime.

§. 9.

A dolore forti ad testes irruente tussis sicca solvitur.

§. 10.

Cum testis intumescit a tussi, memoriam renovat societatis pectoris, mammarum, genitalia, vocisque.

§. 11.

Si testium inflammationi tussis superveniat, inflammatio solvetur, & contra.

§. 12.

Hydrocele discussa supervenit hydrops pectoris.

§. 13.

Praeire & subsequi sternutamenta in morbis pulmonum, malum.

§. 14.

Infantes optimae sanitatis, vegetique ceteris paribus facilime & saepe inadvertebant dentiunt. Debiles vero, laxi, sive ob morbum aliquem praegressum, sive ob innatam debilitatem, difficilime dentiunt.

§. 15.

§. 15.

Pulsus senum saepe intermittit, accedente febrili morbo intermissione cessat, at fracto morbo redit pulsus intermittens, sanitatis proxime ad futurae signum indubium. Hinc ex tali pulsu nil mali suspicetur medicus.

§. 16.

Ubi diathesis inflammatoria, ibi venae sectio conducit, sed nocet purgatio. Ergo in *angina inflammatoria*; item in *apoplexia sanguinea* nunquam purgandum, sed vena secunda. Vidi huius aphorismi veritatem in multis casibus tum meis, tum aliorum, nunquam enim purgatio profuit, nocuit autem semper.

„ Corpora laxa, tumida, quaeque aut sunt, aut fuerunt chlorotica, subinde valde febri citant: dolor capitis magnus lingua humida, glutinosum os, sitis aut nulla, aut exigua, inappetentia, urina flava valde, mucosa; sanantur cremore tartari leniter album movente, & oxymelle. Deinde vero firmandum corpus roborantibus. *Hydrops calidus* eodem modo curari debet. Rarissime venae sectio prodest“. *Stoll*.

§. 17.

Ventriculi dolor post potum Cafféé in homine robusto, plethorico a turgore vasorum ventriculi oritur. Juvat venae sectio non autem sic dicta stomachica.

Adest in hoc casu praeter dolorem ventriculi etiam dolor capitis, aut vertigo.

Praeter plethoram universalem adest particularis ventriculi; subinde etiam intestinorum, tunc autem dolores colici, vel collica haemorrhoidalis dicta, balneo tepido, emollientissimis decoctis, refrigerantibus & hirudinibus ano adplicatis curanda.

In sputo sanguinis menstrua nocent astrigentia; prosunt emollientia, alvum lubricantia, & hirudo ad anum. Item subinde movenda alvus est, per magnesiam nitri, quae alvum sollicitando motum humorum versus venas haemorrhoidales determinat. Diaeta vegetabilis.

§. 18.

Si pleurisis sit ab apparatu humorum in primis viis purgandum est.

§. 19.

In pleuritide maligna & epidemica camphora cum *fervido* decocto rad. imperat. angelic. tussilag. fol. scabios. & tussilag.

§. 20.

Temperamentum puerorum pituitosum, improvisa, sine manifesta causa orta gravia symptomata, & apoplexia puerorum extremitatibus frigidis, pulsus valde exilis, qui fere semper signum est vermium, frequens contrectatio abdominis manibus, tormina, improvisa mania, singultus &c. signa sunt vermium. In tali casu nil potentius, quam statim dare cum brodio gr. xii, merc. dulc. & gr. v. Scamon. Sulph. in adultis. In pueris vero minoretur dosis, vel potius detur mer-

mercurius crudus in brodio ad magnitudinem
pisi. Nam exit ad miraculum.

§. 21.

Subito excitari ex somno cum trepidatione in infantibus, praecipue, est apud mulierculas signum vermium; hoc item tamen etiam contingit in eruptione exanthematum.

§. 22.

Lumbrici frequenter absconduntur in cavitatibus intestini colon, ad quas cum interdum difficulter perveniant medicamenta, ideo non mirandum, si non raro ex optimis medicamentis non semper optimos habeamus successus.

§. 23.

Vermes subinde subito non solum pueros enecant, & infantes, sed etiam adultos.

§. 24.

Anthelminticum Georgii Batei Angliae archiatri referente *Baglivio* est sequens.

R. Mercur. crud. recte purgat. un. j.

Aquae graminis

— — portulac. a — un. jjj

relique per duas horas mercurium,
macerando ac saepe & fortiter agi-
tando. Decanta aquam & cola.

§. 25.

Si circa quartum, cum iamiam erumpunt variolae, caput impetunt cum magno calore, anxietate, motibus tendinum subsul- toriis &c. statim imperavi Baglivius cucurbitulas scarificatas scapulis; & momento omnia symptomata conquevere.

§. 26.

§. 26.

Si sanguis ad caput impetum facit in variolis (idem sors in aliis morbis acutis inflammatoriis magis conveniret, quam vesicantia , aut etiam episistica), tensionesque in hypocondriis adsint , plantis manuum atque pedum spongias decoctis emollientibus tepidis turgidulas apponi jussit *Baglivius* , magno cum symptomatum levamine .

§. 27.

In pueris semper de duobus suspicendum , de lumbricis videlicet , & de variolis , ideo nunquam febris , antequam duo tresve dies elapsi sint , determinanda .

§. 28.

Dolor dorsi accutissimus , nonnulli motus convulsivi , tussis , oculi humidi , febrim ex genere variolosarum futuram denotant .

§. 29.

Qui in variolis maxime sputant , raro moriuntur , nullumque sputatorem in variolis mortuum vedit Walschmidius .

§. 30.

Adultiores aetate , nisi recte tractentur in variolis , saepe moriuntur phrenitici uti observavit *Baglivius* .

§. 31.

Ad foveas variolarum delendas optimum asserit *Baglivius* remedium fieri ex alio amygdalarum dulcium. un. jj. Spermat. cet.un. jjj. Ol. Still Rhodii gr. jv. M. f. Unguent.

§. 32.

§. 32.

Contrahuntur saepe hypocondria in acutis versus diafragma, ob id inflammatum, vel convulsivica oscillatione laborans: & semper malum est.

§. 33.

Pulsatio in praecordiis cum signis ariditatis in lingua, vel aliis partibus, delirium significat.

§. 34.

Si lumbis dolentibus veniat dolor ventriculi, futuras denuntiat haemorhoides.

§. 35.

Si in morborum, praesertim acutorum initii, hypochondria tument aut dolent, sanguinem in supernis partibus expecta.

§. 36.

Nolite terreri, si aliquando videatis pus in morbis; nam non semper pus est, sed succus nutritius, qui ob intermissam exercitationem consuetam, vel ob victum copiosum in venis redundat; unde in forma puris tunc effluit per urinam, secessum, &c., teste *Aviscenna*, quare non semper alba materies signum est ulcerum; quod serio notandum.

§. 37.

Datur etiam hydrops inter musculos abdominis, quando nempe serum non in eius cavitate, sed inter externos abdominis musculos fluctuat, & ventrem elevat in magnum tumorem ruptis, laxatis, vel erosionis talium

par-

partium vasis lymphaticis. *Hippocrates* eius primus meminit. dum ait, *Spatia musculorum sero & flatu repletur.* *Walschmidius* in sua praxi nonnulla quoque de eodem monet, ex ore praceptoris sui habita.

§. 38

Hydropicis desperatis, si facies evadat plumbea, mors ostia pulsat.

§. 39.

Qui natura sunt stomacho debiles, & difficulter cibos coquunt, luridos & conspurcatos dentes habeant, cum aliquali oris foetore, sunt magis proclives ad somnum quam ad vigilias; hebetes sunt visu, remota non bene vident obiecta; a quovis copioso ciborum usu facile laeduntur

§. 40.

Potus cassee iis mirabiliter prodest, & apud me (ita Baglivius) pro secreto habetur. Continuo moerent aut dolore capitis laborant, & ob id impatientes sunt.

§. 41.

Ex auctoritate & pracepto magni *Hippocratis* non solum febres obnoxiae sunt viribus & potestati dierum criticorum, sed quam plures etiam alii morbi, ulcera, ophthalmiae, dysenteriae vulnera cum febre Typhos febris, eodem teste, sex mensibus iudicatur.

§. 42.

Si secundo die exacerbatis omnibus accidentibus, ruat aeger in peius, morietur quarto; si quarto, morietur sexto. Hippoc.

§. 43.

§. 43.

Crises ad articulos natura peculiari quādam lege sibi soli nota promovet ac perficit, & nos cum impropriis remediis, nil aliud efficimus, quam eam a debita crisi, cuius nos rationem ignoramus, divertimus, factaque metastasi ad interiora brevi iugulatur aeger. Id saepe verum observavi (Baglivius) quando tumores pedum, dolores, ac tumores rheumatici articulorum in imputris corporibus per diuretica, aut purgantia repetita a medicis curari solent in iis p̄ae ceteris, quorum stomachus infelix est, debilis ac relaxatus, ut in quam plurimis in urbe est — — Stomacho in his prospice. Victum optimum impera & vinis vindemiarum tempore more nostro, medicatis, toto anno utere & sanabuntur.

§. 44.

Causam morbi praescire, dies criticos religiose observare, paucis uti remediis; cotta materia humores educere, dummodo non turgeant, quod si turgeant, statim purgandum; qui haec in acutis noverit, quam feliciter curaverit!

§. 45.

Plures remediorum usus necat quam vis & impetus morbi.

§. 46.

Pleuritis & pulmonia habent suos criticos tertium, quintum, septimum, nonum, undecimum, & decimum quartum.

§. 47.

§. 47.

Crises humoris meri & sinceri pessimae.
Sanguis merus per tussim, bilis mera per
alvum &c.

§. 48.

Crises umoris pauci, ut stillae sanguinis
pauci vomitus, pauci secessus, pessimae;
fiunt ab exsolutione vel oppressione partis.

§. 49.

Morbi acuti usque ad vigentesimum
moventur per quaternarios; a vigentesimo
ad quadringentesimum per septenarios; a qua-
dragintesimo ad centesimum. In chronicis
per menses & annos.

§. 50.

Si quis sine causa, noctu multum sudat,
repletionem significat. Id.

§. 51.

Febres aestate non tandem fiunt ex ni-
mio fructuum esu, & ex calore solis, quantum
ob frequenter impeditam transpirationem.

Tussiculae cum sputatione abscessum cir-
ca aures submovent. Ideo gargarisma ex mal-
vatico vino, quod mihi (Baglivius) familia-
re est, in paroditibus iuvat, & ea quae spu-
tum movent, pariter prosunt, nam emungunt
excretoria glandularum oris vasa, a quorum
concreta lympha nascuntur parotides.

§. 52.

Parotides rubrae, & nimium dolorose,
sive sint participes, sive expertes suppuratio-
nis,

nis, periculosae, praesertim si alvus non fluat biliosa. Alvus libera in quibuscumque capitum mortis semper mirabilis, semper utilis.

§. 53.

Parotis, licet ad suppurationem etiam veniat, si tamen non adsint signa coctionis in urina vel alvus multum non fluat, malum.

§. 54.

Si crudo adhuc existente morbo cum gravibus symptomatis, parotis veniat, & obmetum graviorum expectari non potest, suppuratio, candenti ferro statim urenda, & ita procuranda statim suppuratio, & exitus. Maligno humori ne mora raptum faciat ad caput & vicinas partes, ac suffocet. *Wallesius* hanc methodum saepe felicem expertus est, uti & *Baglivius*.

§. 55.

Surditas alvum sistit, & alvi profluviū; surditatem, solvit etiam sanguis e naribus.

§. 56.

Surditas in acutis post septimum diem cum aliis bonis signis, convalescentiae indicia praebet.

§. 57.

Quibus in febribus ardentibus aures obsurdescunt, his non soluta febre necesse est delirare. Solvit autem inter alia sanguinis e naribus eruptio, aut alvus biliosa.

§. 58.

Aurium morbi nunquam spernendi; solent enim nonnunquam esse acutissimi & post biduum iugulant. Ita *Halicarnassus aeger Hippo-*

pocratis dolore auris correptus vehementissimo postridie obiit aphonus. Acutissimi sunt ob apostema auris quod tunc fit; & si fit ex interna parte tympani, malum; pus enim difficulter expurgatur exterius, hinc malum, & pereunt; contra si ab externa tympani parte inflammatio fiat, in qua expurgatum pus facile prolabitur extra, & partem liberat, atque vicinum parti cerebrum etiam liberat.

§. 60.

Pariter rubris, & supra modum tinctis existentibus urinis, cave cane peius & angue, ne chinam chiae praescribas, sive sint acute, sive sint intermitentes febres. Nam *acutae* adhibita china transeunt in inflammationes periculosas; intermitentes vero fiunt continuae graves, periculosae & chronicae. At si cum talibus urinis lingua sit viscida, sicca; calor acris per totum corpus viscera intenta, cum hypochondriorum calore, quae singula significant incipientem viscerum inflammatoriam crispaturam, & oscillationem morbosam, ab exaltatis salibus pendentem; in tali casu sanguinis missio etiam repetita, pro ratione accidentium supervenientium, conferre poterit, ad praecavenda deliria, capitis dolores variae que huius generis acutas affectiones.

§. 61.

Urinae turbidae, quales iumentorum, semper mala capit is minantur in acutis.

Urina, quae, supprimitur in acutis ante rigorem, bonum; critica enim est: quae post
ri-

rigorem subsistit , convulsivica , & letalis .

§. 62.

Idem dicendum est de haemorragia , quae ut bona sit & critica , rigori succedere debet , non antecedere eundem .

§. 63.

Urinae , quae in acutis derepente & im-
merito coquuntur malae ; quidquid enim im-
merito coquitur in acutis , malum est .

§. 64.

Urinae variae in acutis longitudinem signi-
fificant . §. 65.

Ex urina rubra & nimium tincta non
semper desumenda est indicatio sanguinem
mittendi ; nam non semper caloris signum
est , ut supra notavimus . In viscerum vera
inflammatione urina persaepe est alba , & ta-
men vena secanda , si morbus postulaverit .

§. 66.

Saepe observavi in iis , quibus obstruc-
tiones sunt in primis viis cum maximo humo-
rum in mesenterio crudorum apparatu , uri-
nam diminute procedere , & aliquando sup-
primi ; quia humorum huiusmodi in mesente-
rio haerentium causa , lymphae cursus in
lymphaticis viscerum turbatur , & impeditur .
Diuretica quantacumque & cuiuscumque acti-
vitatis dederis , urinam non educes , imo ma-
gis suppresses ; purgantia repetita ex pilulis
de hiera cum agarico &c. , et lenia huiusmodi
purgantia educendo mesenterii impuritates ,
pro modulo quo tales educuntur impuritates ,
uri-

urinae quoque cursus aperitur & aegri sa-
nantur. *Idem ego vix non semper observavi
in febribus biliosis hungarorum. Stoll.*

§. 67.

Pulsus intermittens in una pulsatione
pessimus in acutis, & inflammatoriis febri-
bus, praesertim si alia vigeant gravia acci-
denta. Non ita malus, si morbis pectoris
superveniat, in quibus familiaris est, aut in
morbis senum, aut in plethoricis, aut in pue-
ris dormientibus, in quibus omnibus intermit-
tentia fere cum familiaris sit non ita perni-
ciosa aestimanda.

§. 68.

Diutius & salubrius vivunt, qui natu-
raliter pulsum habent exiguum, quam qui
magnum, & vehementem. Salubrius quo-
que, qui pallidulo faciei colore sunt, quam
qui rubicundo nimium & fere igneo: & quo
magis rosea & rubicunda est facies in sanis
hominibus, eo magis suspecta sunt sua bona.
Periculosissimis rosei homines morbis subii-
ciuntur, levi de causa aegrotant, facile in-
flammantur. Longam vitam non habent, & si
habeant, haemorrhoidibus, calculis, dolori-
busque articulorum erit labefactata.

§. 69.

Quando dolores alicubi ferociunt, statim
pulsus parvi fiunt, & exiles. In stomachi
morbis parvi etiam fiunt. Quique naturaliter
sunt stomacho debiles, exiguum fere perpe-
tuo pulsum gerunt; quod ad rite prognosti-
can-

candum in acutis, maxime iuvat praescire.

§. 70.

Si quando in acutis & malignis febribus pulsum tangis, aeger retrahit manum velut tremulam, pessimum est, & pauci evadunt; ita Baglivius saepe observavit in nosocomiis.

§. 71.

In senibus pulsus est varius & mutabilis naturaliter, ideo ne terreat te in iis curandis. Mutabilis quoque est in pueris copia vermium laborantibus, & in stomachi affectionibus cum ingente repletione, & apparatu primarum viarum. §. 72.

Si quando in acutis & aliquando in chronicis post longam inappetentiam derepente ingens excitetur appetitus, nulla praecedente bona crisi, aut alio bono signo, postridie mortem praedicito.

§. 73.

Homines diu inappetentes in gravem morbum brevi incidunt.

§. 74.

Si post curatos morbos inappetentia remaneat, recidivam praedicito.

§. 75.

Bonus appetitus bonam viscerum natura-
lium oeconomiam denotat, unde semper bene sperandum. Nec lubricus sis in promittendo curationem felici eventu, nisi fundamentum habeas in bona appetentia.

§. 76.

Cephalalgiam tollit expurgatio per na-
bres,

res, & sputa crassa odore carentia. Quin etiam eam solvit ulcusculorum ubertas, non nunquam & somnus & alvi profluvium.

§. 77.

Si dolor capitis ante febrim invadat, atque si gravis, continuus & posteriorem capitis regionem occupat, periculum est, ne caput idiopathice laboret, ac per essentiam si vero post aliquot, licet breves ab incepta febre dies, superveniat dolor, per consensum fit, id est febris symptoma est, & occupat partem capitis anteriorem, ut saepe observavi (Baglivius); in summa gravis est, si statim cum febre incipiat, & quotidie crescat, vel in eodem gradu persistat.

§. 78.

Coma non turbulentum, sed placitum, licet duraverit diu ebriorum instar, non est malum, sed sedat & arcet maiora mala, delirium scilicet, dolores capitis, & in pueris febrem.

§. 79.

In morbis capitis indicium ad salutem, vel ad mortem sumas ex urina: si alba sit, & tenuis, malum.

§. 80.

Alvus stricta semper exacerbat capitis morbos. Pediluvia semper bona. Alvus lubrica, bona.

§. 81.

In faciei & faucium morbis cauteria valde iuvant in brachiis; arteriotome in capi-

pite, secretum magnum in desperatis capitis doloribus est.

§. 82.

Hirudines ano adplicatae capitis morbos sublevant: & hypochondriorum mala ex acrimonia, impetu, & difficii circuitu sanguinis in eis.

§. 83.

Hippocratis, liber de morbis, mire describit quam plures capitis morbos ab aliis auctoribus non descriptos, quos utile est videre.

§. 84.

Potus nimius caffee capitis morbos producit; vigiliam, tremorem, calorem &c. Attamen potus caffee est secretum infallibile ad tollendum capitis dolorem postmeridianum, qui vitio stomachi male digerentis, nonnullas post prandium horas venit. Aliquis enim, idem etiam *Baglivio* ipsi contigit, tribus post prandium horis dolores capitis, gravitas, moeror molesti sint, quibus potus caffee eodem tempore mirifice prodest.

§. 85.

Chocolatae usus, prout observatione didicit *Baglivius*, ad roborandam sanguinis massam, eiusque vim, tonum & succum eiusdem nutritium deperditum restituendum, prostratos a coitu spiritus restaurandos maximopere iuvat. Nocet sanguineis, inflamabilibus.

§. 86.

Ut valent oculi, sic & homo.

§. 87.

Erectum sedere velle in acutis, malum; pessimum in pulmonicis, pulmone inflammato, docente *Hippocrate*, quod frequenter verum expertus est Baglivi.

§. 88.

Cuicunque hydropico ascitico facies de- repente plumbea evadit, mors ostia pulsat.

§. 89.

Facies nimis colorata, & praeter rationem rubra & succi plena, suspecta est ista bonitas; nam praesentis morbi sunt signum, aut futuri praesagium. Fit enim illa rubiconda facies ab humorum redundantia, & illorum quodam veluti strangulatu, praesertim circa pulmones.

§. 90.

In chronicis morbis, si facies naturalis sit, & boni coloris, nunquam crede adesse obruptiones in visceribus. Si mutata sit a naturali, id obstructionum signum, & turbatae oeconomiae naturalis est.

§. 91.

Omnis robور faciei vel sanguinis copiam vel internam phlegmonem, vel calidam intemperiem vel visceris corruptionem denotat. Alvis dura esse solet iis qui nimium facie rubent.

§. 92.

Rigor bonus & criticus est ille, qui cum urinae pepasco sive coctione, significa tur,

catur quique solvit febrim & symptomata mitigat, rigoremque sequitur sudor vomitus, vel alia evacuatio. Malus contra, qui frequenter adparet, nam semel adparere debet, qui criticus est; malus quoque, si vires inde langueant, nam indicat naturae debilitatem, & frustraneum eius conatum; malum enim est, quod frustra movetur, si quidem raptum ad caput facit, & diaphragma.

§. 93.

Omnis rigor fere semper in lumbis incipit primo, deinde per dorsum ad caput fertur, iisque rigor a lumbis fere semper in febribus est. Si vero aliunde quis frigeat, abscessu latente rigebit. In phthisico ex peripneumonia male curata observavi, sensum frigoris, & aurae afflantis frigidæ ad latus thoracis sinistrum, qua parte id ex ulcere laborabat interno. Idem aeger latus totum, & crus illius partis sibi facilis frigere aiebat, eumque se sensum habere, ac si quis follem certe cuidam parti lateris sinistri adplicaret, auramque frigidam admitteret.

§. 94.

Rigor qui antecedit urinae suppressiōnem & haemorragiam, salutaris, qui vero iisdem succedit, malus.

§. 95.

Aliquando in febribus continuis frequens est rigor seu horrescentia. Putant medici, id fieri ab abscessu latente. Sed falso; nam producitur, a magna humanorum cacochymia &

paratu, quae a febrili calore in motum acta, dum hinc exinde ad exteriora discurrit, partes vellicando, horrorem facit. Omnes enim cacochymi, dum nimium incalescunt, horrunt. Ita si cacuchymus soli exponatur, pa-
lo post horret & febrit.

§. 96.

Quibus in febribus rigor accedit, febris solvitur, & ideo, quando in febribus continua est; nam significat morbum mutari, eiusque acutiem esse remissam, ut saepissime ob-
servo in praxi mea.

§. 97.

Riger symptomaticus aut suppurationis internae signum est, aut translationis materiae in caput, aut principium materiae su-
peratae a morbo.

§. 98.

Frequens horror in sanis, signum est cruditatis aut cacochymiae; in febribus vero motus morbi, aut suppurationis in ea parte, unde excitatur.

§. 99.

Flatuosa ventris intumescentia, sive hydrops siccus ventris non dignitur a vapo-
re detento intra viscerum & abdominis clau-
stra, ut vulgo putant. — — adsunt fibrae viscerum & partium abdominis intensae ni-
mium, crispatae & exsiccatae, valdeque ela-
sticae. Inde ingens distentio solidi. — Fi-
bres autem exsiccat, crispat, convellit ma-
teries acris, salina, piperina, mordicans;

hinc

hinc siccidas & distensio. Ventositatem flatuosam salvit phleboromia. Sanatur per balnea & humectantia. Hydrops siccus si-
ve flatuosus *Hippocratis* tunc dicitur, quando adest alvi sicitas cum foecibus stercore caprino similibus; nec non adsunt tormina, & dolores magni circa umbilicum & lambos, febris, sitis, tussis sicca. Pessima stranguria in hoc malo fit ab haectica intestinorum intemperie, sequitur alios morbos, potissimum acutos. Cathartica perniciosissima sunt. Usus nitratorum, serum lactis, lac asininum; & generaliter omnia humectantia intus, forisque iuvant.

§. 100.

In iis, qui hydrope sicco moriuntur, observantur glandulae mesenterii aridae, exsiccatae & tabefactae; unde causa mali morbus acutissimus, & difficillimus, citoque interimit; alvus & urima statim supprimuntur; & nihil magis perniciosius remediorum copia, & farragine videtur morbus hic, sive *hydrops siccus esse inflammatio intestinalis*, praecipue tenuium, vel forte etiam colica haemorrhoidalis, quae in inflammatoriam abit.

Stoll.

§. 101.

Quibus tormina & circa umbilicum dolores fortes, desinunt in hydropem siccum.

§. 102.

Criticus ac bonus icterus est, qui coctione indicatur, qui febris finem affert die

critico, nec relinquit hypochondrii duritiem post se, & cum urinis ac dejectionibus naturaliter coloratis existit.

§. 103.

Icteri numquam spernendi, nam sub larva ac persona icteri saepe magni, periculosi, ac repentina morbi absconduntur; & saepissime moriuntur drepente icterici, ut ait *Dodonaeus*.

§. 104.

Icterus febris superveniens semper timendus, raro enim sunt sine malignitate. Si sint signa coctionis, & appareat circa septimum, bonus est; est enim criticus: si signa cruditatis, & si circa quartum malus est, & symptomaticus, & si febris non remittat, letalis, vel gravium morborum nuncius.

§. 105.

Hystericis, calculosis, colicis, & in fine intermittentium facile superveniunt icteri.

§. 106.

Icterus semel curatus, denuo aut pluries recidivans, a calculo vesicae felleae est.

§. 107.

Qui calculo renum pereunt, circa finem convulsionibus aut delirio pereunt, ut in nonnullis observavit *Baglivi*.

§. 108.

Infantibus tertio aut quarto a partu die oritur icterus, fitque ex retentione meconii in intestinis, unde etiam oriuntur epilepsiae.

§. 109.

§. 109.

Spiritus salis ammoniaci acidus quamplures sanavit icteros. Absynthium ponticum iusculo incoctum *Baglivio* familiare fuit. Carduus benedictus, marubium, chelidonium maius. Paronichia folio rutaceo pro secreto laudatur a *Boile*

§. 110.

In curatione icteri tota medici prudenter dirigi debet in investigando, an pendeat a bile viscida, vapida amurcosa, & inertis circa iecur impacta; an vero a bile acri, tenui, ignea, inflammabili, pro quorum diversitate humorum toto coelo diversa esse debet curatio.

§. 111.

Signa viscidiae bilis sunt lingua alba, umida inappetentia extrema debilitas virium, pauca vel nulla febris, flatus ingentes post pastum: quae causae praecesserunt, & temperamentum, ad congerendas visciditates, apta ad id esse debent.

§. 112.

Acris contra tenuisque bilis signa sunt sitis cum aliqua linguae siccitate, ardor, calorque hypochondriorum, aliqua in pulsu mutatio, tensiones hypochondriorum, siccum temperamentum cum macie aegroti; causae quae praecesserunt, calide fuerunt; vina generosa, aromota, saccharata &c. Icterum a visciditate curat veluti pro secreto aqua Te-

tucii quae Salina est. Si febris non adsit, dat potionem purgantem ex hac aqua aliisque indicatis compositam.

§. 113.

Si nimium fuerit amurcosa bilis, per duas aut tres vices haec purgatio alternis diebus repeti debet. Deinde veniendum ad serum lactis cum marrubio bullitum, & singulo mane calide dandum. Et si magna fuerit viscidæ nigraeque bilis copia, addi poterit cum sero in maceratione drachma una hellebori nigri, vel cochlear syrupi cacheltici Fernelii cum helleboro, qui syrupus magnarum est virium in chronicis: & demum omni bile expurgata ad chalibeata & roborantia veniendum. Sequens vinum medicatum Baglivium nunquam fefellit. R. Limatura ferri non rubig. petia ligat. unc. sem. Fol. sennae mundator. dr. xvj. Epithimi incis. & rhabarb. elect. incis. aa unc. jjj. Absynth. pont. Centaur. min. aa M. jj. Bacc. iuniperi cont. Mj. specierum trium santal. & spec. diarrhod. abb. aa Scrup. jjj. Vini albi veteris non admodum generosi libr. vjj. Macere biduo ad cineres fervidas, deinde cola per manicam Hippocratis, ut vinum optime clarificetur; de quo capiat unc. jjjj. mane bihorio ante prandium per quindecim dies aut plures; singulis diebus vel alternis, prout magis vel minus purgaverit. Hoc vinum medicatum maxime etiam confert in scirrhis, & obstructionibus viscerum, potissimum ubi visciditas regnat, nec multa febris adest.

§. 114.

Contrario modo procedendum in ictero, quando a tenui, acri, & inflammabile producitur, atque in fibris iecoris, partiumque vicinarum oscillatoriam parit convulsionem. Utendum enim erit tunc radicibus temperantibus, aperientibus, ut fragarum, graminis, Indibaccarum &c. cum sero lactis bullitis. Succi aperientes potus aquarum acidularum, quae bilem diluant, coercent, & viam ei praebent per urinam aut per secessum; accidulas in ictero a pluribus laudatas vidit *Baglivius*.

§. 115.

Quibuscumque in febribus ante septimum icteri fiunt, malo sunt loco. Hippocr.

Aph. 42. Icterus ante septimum diem insidiosus. At septimo, nono, undecimo, decimoquarto, prorumpens salutaris, dummodo non adsint hypocondria indurata, sin autem adsint, anceps est. Hippocr.

Coac. 127.

§. 116.

Exigua sanguinis stillicidia omnia prava; in acutis nil paucum criticum; prava sunt, nisi indicent futuram hemorrhagiam copiosam die critico, quod dignoscitur ex urinæ coctione eodem die stillicidii.

§. 117.

Rigor, qui post hemorrhagiam venit, quam iure naturae praecedere debet, ut bonus sit, signo & causa funestus.

§. 118.

§. 118.

In morbis longis exigua stillicidia supervenientia, lethalia.

§. 119.

Haemorrhagiae quartanae, seu quarti diei copiosae, malae, aut morbi longi indices sunt.

§. 120.

Sanguinis eruptio quartanas non solvit, neque morbos, qui per alvi egestionem sanari solent.

§. 121.

Febres ardentes in iuvenibus sanantur per haemorrhagiam; in senibus per dysenteriam.

§. 122.

Pestifera est omnis, quae non iuvat, haemorrhagia; Nam labescit natura defraudata ibi, ubi levamen expectabat.

§. 123.

Vomitum sanguinis ex suppressione mensium, mulierculis familiarem, non esse timendum asserit *Baglivius*.

§. 124.

Signa, quando sanguis vomitu, reiectus venit ex hypochondriis, potissimum jecore, sunt: palpitatio hypochondrii, dolor, ardor, tensio; signa obstructionum, color subflavus, viridis in facie, aut reliqua cute, palpitatio coeliaca, aut umbilici: vomunt sanguinem nigrum non vero spumantem.

mantem. Motus sanguinis ab hypochondrio
venientis manifesto percipitur, & sursum
ascendere manu percipitur, quod in suo
aegrotante observavit *Ballonius*; iuvenibus
familiaris est hic exitus loco haemorrhagiae.
In hujusmodi sanguinis vomitu ex jecore
adstringentia non iuvant: sed primae viae a
colluvie purgandae, quae visciditate sua ob-
structionem in vicinis locis pariendo sangu-
inem ad superiora regurgitare faciunt; pur-
gandae autem decoctis aperientibus & sol-
ventibus cum tamarindis, mirobalanis &c.
deinde chalybeatris perficienda curatio. (*In-*
nuit hic morbum nigrum Hippocratis a Tis-
soto saepius visum descriptumque in epi-
stola latina ad cel. Zimmermannum. Estque
vomitus cruentus, vel ♂ alvus cruenta
grummosa, ex ruptis vasis venosis potissi-
mum, iisque varicosis. Varix erupta, ♂
sanguinem ad primas vias effundens omnium
borum symptomatum causa est Stoll.)

§. 125.

In sputo & exitu sanguinis per os, ne
dentur statim stringentia: nam nisi prius
usu rerum mellitarum, hordeatarum, ab-
stergentium purgaveris, pulmones ea san-
guine, qui extravasatus est, & moram tra-
nit in pulmonibus, in suppurationem desi-
net, ac phthisin.

§. 126.

Doloris acerbitas versa in gravitatem,
leipothymia, febris nocta maior, rigor
de-

derepente citatus, qui ante non erat, sunt signa phymatis purulenti interni.

§. 127.

Vomice omnes, seu empyemata partium, cognoscuntur per rigores & febres de novo supervenientes. Sola pulmonis recondita est, & clanculum serpit absque dictis signis, imo tunc cognoscitur, quando repente manifestata, hominem ad mortem brevi dedit, ut *Willifius* & *Tulpius* prae ceteris hoc animadverterunt.

§. 128.

Abscessus ad aures & pedes boni in vomica pulmonum.

§. 129.

Dolores surae, sive cruris intolerabiles, nullis cedentes remediis, oriuntur a pure per partium spatia in crus ab hepate transmisso: *Baubinus*, & *Hollerius* id observarunt.

Hepatidem *Hippocrates* de internis affectionibus his verbis describit. Dolor acutissimus in iecore ad nothas costas, humerum & claviculam, suffocatio fortis; dolet, dum tangitur iecur, febris, rigor & horror, vomitus bilis, color cutis sublividus. Cibi torquent, & urunt ventrem, progrediente morbo remittunt, sed dolor derepente suffocat aegrum, potissimum circa septimum diem, in quibus desinit morbus, & si eos effugerit, sanatur. Balnea, lac, serum & diaeta sanant morbum.

§. 130.

§. 130.

Jecinoris inflammatio aliquando similis pleuritide, & medicos frequenter decipit similitudo. Differunt tamen, nam in hepatitide dolor infra est — — gravatus est non pungitivus; respiratio non multum laeditur, color faciei citrinus, tussis sicca sine sputo, pulsus non durus. Fœces liquide & subcruente. Contraria sunt in pleuritide.

§. 131.

Si inflammatio iecoris sit in parte gibba, urgent symptomata pleuritica; si in eius cava, stomachica urgent.

§. 132.

Si ex usu nitri fixi copiosa sequatur urina bonum in hepatitide: nitrata in hepatitide, & omnibus inflammationibus fere specifica sunt. Ideo serum lactis iuvat in inflammationibus, quia abundat nitro plantarum.

§. 133.

Qui quotidie scribendo vitam ducunt, phthisici moriuntur, & phthisis incipit raucedine molesta, ac nullis cedente remediis, donec tandem fere post annum phthisici moriantur — — — quotidiana experientia certum est, studiis nimium applicatos, & scribendi studio deditos in phthisin facile desinere. — — — Varii pulmonum morbi oriuntur in studiosis.

§. 134.

Bona respiratio in variolis est unum

ex

ex optimis signis, licet alia sint gravia ut centies observatur, ita Baglivius. Cum bona respiratione semper bene spera in variolis.

§. 135.

Spiritus magnus multo tempore durans, delirium significat.

Difficultas omnis respirandi terrifica est quando excusationem non habet, aut perturbationes criticae aut crisis ipsius.

§. 136.

Ut magna & rara respiratio certissimum est delirii argumentum; sic parva & rara mortis iamiam futurae.

§. 137.

Inter morbos pulmonis notabiles est pulmonia lethargica ab Hippocrate ita denominata; ait itaque ipse: *Pulmoniae idem status ac letargi, qui letargici evadunt, pectore suppurantur, Hippocrat., in coac.* Invadit itaque pulmonia cum lethargo statim in ipso morbi initio; oritur a pituita putri & viscida, pulmones syderante, tussis tenet cum sopore; cum moriturus esse aeger, liquescit alvus, ut in libro de morbis describit. Quare non est prospiciendum lethargo per expectorantia. Bagl. (*ex exemplis ibi allatis constat morbum esse senilem, & forte appoplexiam pituitosam cum peripneumonia senum nota. Stoll.*

§. 138.

Pulmonum morbi in fine desinunt in soporosos affectus; sanguine enim a superiori

rioribus ad pulmones morbo obsessos difficilius recirculante sanguine, viis impeditis, haeret in cerebri moeandris; hinc sompor facile accedit.

§. 139.

Saepe moriuntur pulmonici gravissimis affecti accendentibus, & in cadavere nihil morbosi reperitur in pulmonibus — in siccis, adustis aridis, temperamentis id potissimum contingit. Hinc etiam oriuntur pleuritides siccae, asthmata sicca, hydropses sicci, flatulentae & dolorosae partium affectiones, & reliquae hujus generis, in quibus non flatus causa mali est, sed solidum natura siccum, arridum & violento praeditum elatere; quod ab acri humore magis irritatum vehementer oscillat, & oscillationibus istis fluidorum circulum mille modis turbat. (dictorum morborum eadem causa & curatio, ac hidropis sicci, sive tympanitidis superius descriptae). Hydrops ille siccus verius posset vocari: *tympanitis inflammatoria*; Stoll.

§. 140.

Erysipelas pulmonum ab Hippocrate l. de affectionibus describitur. In pulmonis erysipelate adsunt vomitus aquosi, acidique humoris, frequens lepotymia, dolor acutus, anteriora & posteriora pectoris occupat, sitis ingens, aeger respirando nares aperit, veluti aequos a cursu delassatus, & linguam foris exerit, veluti canis aestate, calefactus ab ardore solis; rubet facie, jac-

tatio magna per lectum, septima die moritur. Gravis est morbus & pauci effugunt mortem, teste *Hippocrate* (*gravissima pulmonum inflammatio utriusque lobi cum inflammatione mediastini videtur absolvere totam erysepelatis pulmonici ideam. Stoll.*)

De morbis solidorum superius descriptorum haec adhuc dicenda sunt. His in morbis sanguis missus crusta inflammatoria saepissime caret, saltem initio; hinc idea malignitatis oritur, quae medicum ad prescribenda antiseptica: camphoram; corticem &c. determinat; sed male. Nam repetita venae sectio, potusque emollientes mucilaginosi, fibras nimium crispatas, irritatasque relaxabant felicissimae. Vitium enim est potissimum in solidis nimium elasticis, nimium vivida irritabilitate praeditis, quae accidente stimulo, etiam tenuiori quam qui in sanguine educto observari possit, crispantur, & veram *inflammationem* faciunt. Ad inflammationem gignendam solida plus conferunt quam liquida. Crusta phlogistica videtur esse potius effectus inflammationis quam causa. Vera enim adest persaepe inflammatio absque crusta. Patet quam male cortex, & camphora his in casibus darentur. *Stoll.*

§. 141.

Fol. 92. lib. 1. prax. medicae describit *Baglivius* catarrhum suffocativum, tanquam peripeumoniam sanguineo-serosam gravissimam, subitoque ortam, repetita vene

nae sectione, dein aqua hysopi calida decoctis pectoralibus calidissime sumptis; infuso calidissimo florum sambuci, cum liquore cornu cervi succinato &c. curandam.

§. 142.

Scorbuticis & hypocondriacis saepe fiunt dolores lumborum, qui calculum mentiuntur, sed calculus non est; rheumatismi species est, a sero acri, muriatico, hinc inde vagante dependens; pete ab aegro, si dixerit alias partes huiusmodi quoque dolore vexatos fuisse; dic, lumborum dolorem esse a fluxione vagabundi humoris acris salini, non autem a calculo. Viola, serum lactis, lenes ex cassia purgationes in principio iuvant. In progressu morbi serum cum scabiosa coctum, vel cum vipris recens macratis curationem perficit & complet; promoto leniter sudore.

§. 143.

In lumbis aliquando afficitur musculus psoas, aliquando ren; musculi externi & frequenter mesenterium; hunc dolorem lumborum vitio mesenterii in aere romano in aegris almae urbis frequenter observavi [Bagl.]; in hac urbe nulli morbi tam copiose regnant, quam morbi mesenterii ex repletione, congestioneque putris cacochyliae crudorumque humorum, in eiusdem glandulis pendentes, & quoniam mesenterium forti ligamento alligatur lumbis in medio eorum &c. Ex lunga alvi suppressione, vel alvo praeter-

morem retardata, ex sapore linguae mutato, levi inappetentia, gravitate totius corporis certior medicus fit dolorem lumborum a repletione mesenteri pendere. Clysteribus & fomentationibus ventris curationem incipit, dein purgationibus absolvit *Baglivius*; quod vult, ut bene sibi notent medici.

§. 144.

Impotentia veneris ut plurimum pendet ab impotentia & debilitate imaginationis, quacunque id de causa succedat, metu pudore, iudicij defectu, nimia adplicatione ad studia, aut ad negotia. Et qui forti imaginatione praediti sunt, uti sunt, qui in arte sua supra caeteros excellunt, & praestant, ut plurimum luxuriosi & ad venerem potentes observantur. — — — nisi tamen vis corporis studio & applicatione frangatur, quo in casu iudicium acre cum veneris impotentia iungitur.

§. 145.

Qui gonorrhœa laborarunt in iuventute, solent in senectute diro urinae stillicidio vexari.

§. 146.

Nimius vini & aquaevitæ abusus impotentiam veneris, paralises, tremores, aliosque capitis morbos parit, qui dimisso eodem facile solent sanari.

§. 147.

Dolor fixus in medio pectoris diu perseverans, ac moleste, sine tussi &c. signum est luis gallicæ latentis multis ante annis ab aegris

aegris susceptae , & hoc signo se solum manifestantis .

§. 148.

Si debitisi adhibitis remediis aliquis morbus minime cedat , suspicari rite poterit de lue gallica , & tunc antigallicis forsitan cedet , ut saepe observavi (ita Bagliviusr).

§. 149.

In febre lenta cum doloribus vagis partium macie , temperamento acri , & lue gallica fruente serum lactis ita praescripsit *Baglivius* : R. Seri lactis optime depurati Lib. j. vel plus vel minus , sarsaeparill concis. & contusae dr. jj. macera per noctem in cineribus fervidis ; mane adde coriander. praeparat. parum bulliat , colletur & bibat .

§. 150.

Acidum venereum virulentum saepe intacta massa sanguinea succum nutritum & lympham inquinat , indeque partes nervas & glandulosas potissimum narium , fau- cium , inguinum , invadit , & quoniam san- guis intactus a lue supponitur , nil mirum , si observaveris tales gallicos vivaces , ru- bicundas facie , vegetos , ac veluti nullam interius habentes affectionem ac proinde triumphantes de morbo , sed sine ratione . — — morbus difficilior est , quam si resi- deret in sanguine .

§. 151.

In morbis lymphae , glandulas occupan- tibus , si nimium siccaveris , malum ; si ni- mium

mium humectaveris, malum. Per intervalla itaque diluendum, humectandum, ad alvi vias vel sudorem ducendum, et cum prudentia exsiccandum.

§. 152.

Pro varietate conditionis ac status personarum lues gallica variis in locis sedem figit, eosque prae aliis vehementius molestat. In baiulis & plebeis victum labore quaerentibus sedem figit in articulis, unde articulorum doloribus, motus impotentia, similibus articulorum morbis maxime afficiuntur, viris literatis, & studiosis in capite sedem figit. Musicis ob pulmones cantu exercitatos, debilitatosque in pulmonibus, mulierculis, atque etiam matronis ob vitam otiosam, & congestos in mesenterio pravos succos, ibidem. Hinc vexantur cruditatibus, obstructionibus, inappetentia, pallore vultus hectica mesenterica, tabe, hydrope, & similibus ex lue gallica.

§. 153.

Dantur dolores lateris ex lue gallica, qui solo sanantur mercurii litu, & decocto lignorum, noctu rigent, consuetis remediis non cedant.

§. 154.

Radix bardanae a pluribus doctissimis viris pro magno secreto habetur ad curandam luem gallicam.

§. 155.

Ex mente *Baglivi*, *Etmulleri* opera

semper p^rae manibus habenda , utpote practicⁱ
ci , ut ait praestantissimi .

§. 156.

Lues gallica , struma , & elephas ali-
quid habent cognatum . Tres has hydras unus
alexicacos Hercules hydrargirosis vincit , do-
cente optimo *Ballonio* .

§. 157.

Si aegroti corpus repletum sit viscidis ,
crassis ac pituitosis humoribus , cave ne de-
deris mercurium intus vel extra , nisi prius
visciditates illas solveris , praeparaveris , &
repetitis purgationibus eduxeris ; alias enim
occultatis in illis visciditatibus mercurius ,
paulo post refervescentibus humoribus , & in
motum actis , gravisa parit accidentia caries ,
ossum , atrophias , glandularum tumores ,
tremores , continuam salivationem &c.

§. 158.

Dolor collicus fere semper mitescit in
semicupio ; ideo in doloris pertinacia utere se-
micupio .

§. 159.

Dolores ventris a deambulatione nudis
pedibus super nudum pavimentum facta , ap-
positis lateribus , calidis plantis pedum sta-
tim sanantur , crescente namque calore in
pedibus minuitur sensim dolor in ventre .

§. 160.

Arcanum quemdam ac inexplicabilem
consensum observavimus inter morbos ventris

ac morbos cutis. Dolorem colicūm vidimus mutatum in arthriticum; & e contra dolores arthriticos per supervenientem diarrhaeam & collicam solutos: hinc quadrat illud Hippocratis, alvi laxitas, cutis densitas; cutis rarietàs, alvi densitas. Ideo observamus in praxi, quod diurnae diarrhaeae irritis aliis per diaphoretica potissime sanentur.

§. 161.

Diaphoretica cum opiatis mixta felicissima sunt in colicis.

§. 162.

Colica habitualis & endemica a vini acido praesertim oriunda, solis sanatur sudoriferis, vesperi tamen interposito anodynō remedio.

§. 163.

Purgantia quandoque bene cedunt in colica, praesertim si nulli adsint vomitus & febris, denturque in forma liquida.

§. 164.

In aere Romano per adhibita phreniticis vesicantia plures vidimus mortuos, quam sanatos; magisque nocuisse, quam profuisse, ceterum longiorem usum res haec magni momenti meretur.

§. 165.

In eodem aere observavimus vesicantia mulieribus delirantibus admota profuisse magis, quam viris & plures sanatas esse.

§. 166.

Dum imminet delirium, vel iam factum

tum est , loco vesicantium secare soleo . (Baglivius) venam pedis , vel salvatellam interutra manu , exinde diluentia ex seminibus frigidis praescribo , breve iugulatum vidi- mus delirium .

§. 167.

Delirantibus cum febre acuta , lingua arida , & indiciis magnae viscerum inflammationis , si applicentur vesicantia , omnes fere in peius ruunt , & magna ex parte moriuntur convulsi ; iisdem e contra si ve- nam frontis vel bracchii secundam imperave- ris , & exinde larga dederis diluentia , facil- me sanabuntur .

§. 168.

Malum , si phrenitis mutetur in lethar- giam , non ita , si lethargus in phrenitidem .

§. 169.

Multi dementes & maniaci sanati fue- runt demergendo eos in aquam eadem me- thodo , qua merguntur hydrophobi , quorum unica curatio est repetita in aquam immersio ; methodum hanc sanandi mente captos in An- glia expertus est Dominus Robertson maxi- ma felicitate . (*Fors proliendo copiosos su- dores prodeste . Stoll.*)

§. 170.

Si difficulter spiraverit , venam brachii tundito , etiamsi hydrope laboraverit . Bagli- vius ex Hippocrate .

§. 171.

Si quis vesperi hora somni , sed praeci- pue

pue post tres aut quatuor horas somno impensas, derepente expurgiscatur ingenti asthmate, sive suffocatione correptus, atque fenestras aperiat, liberumque aerem desideret; pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare, multo magis, si pedes aut manus tumere coeperint, cum faciei a nativo colore recessu, & prae ceteris si accedat torpor, seu incipiens bracchii paralysis; huiusmodi brachii torporem in aliis quoque pulmonum morbis, praesertim peripneumonia observamus; asthmate laborantibus si pleuritis vel peripneumonia superveniat, fere semper moriuntur.

§. 172.

Asthmaticis dysuria, superveniens bonum, cessante ischuria, denuo asthmate corripiuntur. Exinde magis confirmatur, quod pluries adnotavimus; nempe in morbis pectoris, semper ducendum esse ad vias urinae natura id monstrante; nec non magnum consensum esse inter tibias & pudenda & pectus, morbosque harum partium ad invicem commutari.

§. 173.

Diuretica ex salibus lixivialibus & acidis parata in morbis pectoris non adeo tuta sunt, nam tussim movent, & morbum exasperant; contra pulvis millepedum, therebinthina.

§. 174.

Balsamum peruvianum, decoctum radicum aperientium, syrpus de althaea Fernelii, urinam potenter movent, nec tenellis pulmonum membranulis infensa sunt.

§. 175.

Asthmaticis si excitentur apostemata in cruribus, forsan solvetur morbus; ideo iuvant cauteria in cruribus.

§. 176.

Accessiones asthmatis frequentiores sunt coelo frigido & humido, praecipue inter crapulandum.

§. 177.

Asthma frequentius invadit obesos & otio macescentes.

§. 178.

Pulsus inaequalis familiaris est pulmonum morbis quam plurimis.

§. 179.

Morbi ad crura & pudenda solvunt asthmata. Tument pedes asthmate cessante.

§. 180.

Ex scabie retropulsa si fiat asthma, cum scabioso dormiendum est, ut scabies revocetur, vel urticis cedenda cutis, Baglivius.

§. 181.

Vomitoria iuvant in asthmate umorali & stomachico, quia ea concussione e pulmonibus eiiciuntur visciditates &c.

§. 182.

Magnam asthmatum humorium crudorumque partem a stomacho pendere observavi; hinc iuvant pillulae de hiera, & singulo mane cochlear oximellis squillitici, su-

per omnia.

perbibendo iusculum cichoreatum, addito pauxillo cuiusdam roborantis. Gummi ammoniaci, oximel squilliticum, iulep tabaci in asthmate humorali & stomachico omnibus prestant.

§. 183.

Asthmaticas mulieres fere semper cum uterinis, mixtis pectoralibus, curato.

§. 184.

Diluentia, serum lactis, viola, emulsiones seminum melonum, gelatina cornu cervi, lac in caduco pulmonum morbo, sive asthmate sicco prae ceteris iuvant. Saccarata, remediorum copia, purgantia fugienda tanquam pestis.

§. 185.

Asthmate convulsivo laborantes melius manent aestate, quam hyeme.

§. 186.

Diarrhaeae frequenter oriuntur ex moerote, et animi pathematis, suntque fere incurabiles, praesertim si causa moeroris persistenter.

§. 187.

Perniciousae sunt diarrhaeae in morbis pectoris. Curationem diarrhaeae non incipias per adstringentia, nam introduces viscerum obstrukiones et intestinorum, difficile solubiles, quibus tandem succedit hydrops pertinax.

§. 188.

Carnium esus auget diarrhaeas, cave igitur ab iis, quantum poteris.

§. 189.

Nil magis alvum stipticam reddit,
quam usus veneris, quod etiam cognovit
Hipp. 7. epid., aliquè.

§. 190.

Masticando tota die cinnamonum et de-
glutiendo salivam illam diarrhaeis & languori-
bus stomachi cum dysenteria brevi sanantur.

§. 191.

Inveteratis alvi fluxibus, dysenteria,
tenesmo, relaxatione ani &c. excipiatur per
inferiora vapor therebinthinae prunis arden-
tibus iniectae, & sanabuntur.

§. 192.

Bonum, si diarraea irae superveniant,
& si haec non superveniat, febris superve-
niet.

§. 193.

Cave in cura dysenteriae a nimia reme-
diorum farragine; pauca sint & simplicia;
ideo saepissime dysenterias profligavi solo
sero lactis intus dato, & per clisteres quo-
que inecto, multique autores pro magno
secreto habent hoc remedium in dysentericis.

§. 194.

Clysteres copiosius dati in dysenteria,
morbum exacerbant.

§. 195.

Si statim post dolorem excretio non
fiat (in dysenteria) scito, quod intestina
tenuvia sint laesa.

§. 196.

§. 196.

Differt dysenteria a sanguinis fluxu haemorrhoidalium; in hoc enim semper sanguis praecedit foeces, in dysenteria vero sanguis vel cum vel post foeces; excernitur.

§. 197.

Dysenteria in puerperis non est mala, nam lochiorum materiam per vicina loca optime minuit. Cave igitur ne stringas, nam per eam lochia expurgantur,

§. 198.

Febris raro supervenire solet apoplexiae, praesertim pituitosae.

§. 199.

Si catochus in ipsa accessione febris intermittentis, aut remittentis superveniat, durante accessione nulla contra eum prescribantur remedia, nam omnia erunt in perniciem aegrotantis, exceptis frictionibus & revulsionibus, quae adhiberi poterunt in accessione: finita accessione desinit quandoque & cathochus, si vero non desierit, statim sanguis mittendus, aut purgandum pro indicatione utrorumque: si vero secundo supervenerit, mortem affert; neminem enim liberatum vidimus, cui secundo catochus supervenit, ut notat Dodonaeus in suis doctissimis observationibus.

§. 200.

Rhodius in *Septalium* refert ex *Bal lonio*, quod in omnibus affectibus comatosis praec-

praecipue lethargo & apoplexia, pulsus dum ex parvo fiebat magnus, & sensim in magnitudine crescebat, aegrotantes brevi moriebantur. Idem etiam observavit Wallisius: hac de re serio monet *Baglivius*.

§. 201.

Observavimus in Xenodochio anno 1694. hyemali tempore Romae, quod quando apoplexiae erant gravissimae, etiam confirmatae, vesicantia non admodum conferebant, imo omnes fere tales aegroti moriebantur.

§. 202.

Spuma omnis lethalis est in apoplexia. *Hipp.* 2. *Aphor.* & *Tulpius* l. observ. med. 6. & *Forestus* 10. observ. 74. idem etiam *Rbases*.

§. 203.

Si dolores in quacunque corporis parte periodice exacerbantur, & stata quaque hora recurunt; peccans illorum materies in loco affecto non generatur, sed aliunde venit: in his casibus tribus horis ante invasionem detur lenis potio purgans, & sanabuntur; praecipue si imo ventre haec fiant.

§. 204.

Doloribus externarum partium, si alia non proficiant, ad causticum devenias. Ipse uti soleo foliis ranunculis vel mixtura ex calce viva & sapone liquido. Hoc ischiatricis summopere confert, imo & aliis doloribus, iuxta illud *Hipp.* l. de intern. affectionibus §. 19. & l. de affect. §. 30.

§. 205.

§. 205.

Ter aut quater observavit (*Baglivius*) dolores capitis pertinacissimos & fere ad maniam accedentes, irritis aliis, solo pulvere de gutteta (de quo vide *Riverius* cap. de epilepsia) ad drac. j. circiter dato cum brodio alterato florum primulae veris, beton. vel cum decocto Thée &c. feliciter cessisse.

§. 206.

Ad dolores externos spiritus salis ammoniaci cum oleo amygdalarum dulcium mixtus breviter & feliciter proficit, & didici per experientiam, quod spirituosa cum unctuosis mixta doloribus optime medeantur, non ita sola spirituosa.

§. 207.

Omnes fere convulsiones infantum a stomacho sunt, unde iis statim morbum solvunt lenia purgantia, praesertim infusum rhabarbari.

§. 208.

Ex abortu convulsae mulieres raro evadunt, ut notavimus.

§. 209.

Utile est observare, num semper eo tempore quo infans corripitur epilepsia, matri fluant menses, nec ne.

§. 210.

Tussis infantum fere semper a stomacho cruditatibus scatente esse solet; quo in casu semper stomacho prospiciendum, non post habitis tamen pectoris remediis.

§. 211.

§. 211.

In tussi sicca ex humorum acrimonia, eorumque tenuitate producta, usus lactis praestantissimum est remedium; ego uti soleo lacte cum iure carnium vel aqua violarum cocto.

§. 212.

Si tussis cum febre pertinaciter afficiat aegrum, & nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiam si sanguis non spumatur.

§. 213.

In tussi praesertim pectorali purgantia datam practicorum fidem non liberant; imo si ex aeris inclemencia tussis contracta fuerat, plus nocent.

§. 214.

Boli ex butyro recenti cum saccharo mixti & vespera sumpti vehementissimas tusses catarrhales demulcent.

§. 215.

In tussi convulsiva infantum decoctio ex musco arboreo praesertim ex queru pendente omnium praestantissima est, ut nos expusimus, monente *willifio*. Valet quoque in aliis morbis convulsivis.

§. 216.

Spiritus cornu cervi contra tusses vehementissimas mirabilis est. *Boyle de utilit. philosophiae.*

§. 217.

Dolorem lumborum rheumaticum a nephritico per hoc certissimum signum distinguere poteris: pete ab aegro, an dum in terram incurvatur, & exinde erigitur, cum

difficultate erigatur, adeo, ut per medium quasi scindi videatur; si haec adsint, pro certo habeto, dolorem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum, productum scilicet ab acribus, & muriaticis salibus, per serosum humorem illinc depositis.

§. 218.

Ad rheumaticos hos lumborum dolores potum lactis cocti cum aquae decoctione Theae & mane sumptum ad libr. j. circiter, felicissime sum expertus. Hoc idem remedium podagricis & calculosis forsitan non obesset.

§. 219.

Melopeponum comestio podagricis & calculosis maxime prosunt, dummodo venus, vinum & otium absint.

§. 220.

Dolores renum a quinque causis potissimum fiunt, fluxione scilicet (sive humoris seroso-acris & corosivi depositione) ulcere, inflammatione, lapide, & abscessu.

§. 221.

In nephritide sensus subitaneus rei pungentis, veluti aculei in regione ureteris signum est certissimum calculi hac parte iam impulsu.

§. 222.

Potus aquarum mineralium calculos pellit, & ab iisdem praeservat: ubi vero hae in promptu non fuerint, substitui poterit decoctum ex multo eryngio parum contuso factum, quo vinum album diluatur, & copiose bibatur. Siquidem hoc remedium potenter sub-

le-

levat calculosos & podagricos, teste *Chesneau*,
§. 223.

Haemorrhoidum internarum dolor mentiri
solent dolorem calculi in vesica latentis; hic ta-
men multo est atrocior & frequentior, quam
ille. §. 224.

Si frequenter mentulam contractet pa-
tiens, & cum mingere, incipit desidendi quo-
que voluntate teneatur; si dum per urbem
incedit, divaricatis cruribus obambulet, ex
tribus hisce signis de calculo vesicae certior
fias. §. 225.

Facto semicupio, & praesertim postquam
dolor quieverit, si eadem vehementia die sequen-
ti serius aut citius revertatur cum vomitu, dolo-
rem esse nephriticum pro certo habeto. *Ches-
neau*. §. 226.

Nuper arthriticus quidam Romae ex-
crevit urinam crassam & copiosam, quae
paulo post in consistentiam gelatinæ coa-
gulata fuit, & ita liber evasit ab arthritide.

§. 227.

In ipso paroxysmo doloris nephritici,
lithontripica & aperientia medicamenta ob-
sunt potius, quam prosunt. Conferunt contra
emollientia, laxantia, & anodyna &c.

§. 228.

Lenia purgantia & clysteres summuū
levamen afferunt calculosis & podagricis.

§. 229.

Dolor fixus in regione renis, & vomi-
tus continuus sunt praecipua signa doloris

renalis a calculis; cetera sunt dubia & aliis
ventris doloribus communia.

§. 230.

Pleuritici, quibus abscessus fiebant ad
aures, omnes sanabantur, ut pluries vidimus.

§. 231.

Obstructione viscerum laborantibus, si
facies vividum & naturalem servat colorem,
taliū hominum curationem suscipito; nam
facile sanabuntur. Si vero &c. Uteri tamen
cancro affectis aliter se res habet: in iis
namque faciei color a naturali non recedit,
sed genas perpetuum roseas habent.

§. 232.

In peripneumonia si febris, tussis, &
reliqua symptomata exacerbentur quinta die,
quo maior exacerbatio, eo mors citior die
septima.

§. 233.

Si ructas acidum, abstine a vino, &
sanaberis: loco vini aquam aniso aut cina-
momo alteratam sumito; sanatus vero, de-
nuo vinum assumas.

§. 234.

Ischiade coreptis eadem hora vel paucis
elapsis a prima doloris invasione, si pur-
gans medicamentum dederis, vix absoluta
hac, aut ad summum altera, quam propina-
veris purgatione, aeger certo sanabitur; non
ita vero, si morbus ad plures dies vel men-
ses fuerit protractus.

§. 235.

In morbis nunquam ab aegro discedas,
do-

donec linguam inspexeris: haec statum sanguinis praे aliis signis & apertius & certius nobis indicat &c.

§. 236.

Petechie quo tardius & fere circa morbi statum erumpunt, eo meliores sunt, ad crisin enim & coctionem iam vergit morbus, contra si appareant in principio morbi, malae sunt &c.

§. 237.

In feribus intermittentibus, si secundus paroxysmus erit vehementior primo; tertius vero maximopere mitis, scias febrem circa quartum paroxysmum totaliter cessatram: si quartus paroxysmus vehemens fuerit: quintus vero magna ex parte remissior, tum in septimo paroxysmo integra febris solutio expectanda.

§. 238.

Constans est doctissimorum medicorum observatio, nonnullos morbos pertinaces & chronicos, praesertim a longo moerore & animi pathematis productos, nullis aliis remediis celerius obtemperare, quam equitationi in aere rusticano.

§. 239.

Equitationem commendat ante Sydenhamum *Hippocrates*. Libr. de diaeta.

§. 240.

Filiī magnatum ferequentius ex inutili remediorum copia, quam ex vi morbi per-

reunt, praesertim si acute laboraverint; paucis utaris, & cum prudentia.

§. 241.

Iliacae passioni si spontaneus alvi fluxus superveniat, aut acuta febris, brevi morietur aeger.

§. 242.

Iliacae passioni quo fortiora adhibueris remedia, sive purgantia, sive clysteres magis irritantes, eo magis obstruetur alvus ob auctam ab illis fibrarum intestinalium crispaturam, & contracturam; convenient magis anodynna, emollientia & dissolventia, &c.

§. 243.

Si illo superveniunt urinae suppressae, stranguria, singultus ventris inflati, aut convulsiones, malum erit lethale.

§. 244.

Mulieres gonorrhœa laborantes vel menstruantes circulum lividum, sive plumbeum sub oculis habent, quod inter diagnostica morborum muliebrium est reponendum.

§. 245.

Urina subiugalis, quando in acutis febribus, aut morbi appetet, semper mala capitis praenuntiat &c. — Sicut urina subiugalis mala est in acutis, ita contra bona est in nonnullis chronicis, utpote rheumatismo, doloribus articulorum.

§. 246.

Inter signa foetus mortui in utero ab auctoribus recensita certissimum & fere infallibile-

bile est tenesmus, sive crebra voluntas foeces deiiciendi, mulieri superveniens, ut alibi quoque notavimus.

§. 247.

Saccarata hypochondriacis, hystericas & pueris non conducunt.

§. 248.

Lingua sordida & manus tremulae, in acutis semper periculum portendunt.

§. 249.

In malignis febribus, in quibus a centro ad ambitum corporis noxius humor pellendus est, ante expulsionem respiratio laboriosa est, & ingentes praecordiorum anxietates adsunt. Facta expulsione paulatim declinant: idque in febribus petechialibus, morbillosis, variolosis, scarlatinis & similibus observavimus non semel.

§. 250.

Pruritus narium est infallibile signum synochi simplicis, nec non lenis mador cutis. Ex Waldschmidtio Baglivius.

§. 251.

Observavi lypiriam febrim superveniente cholora statim ac prorsus pluries feliciter cessisse; non ita apparentibus sudoribus, aut urina &c. *Lypiria febris est febris biliosa, siue ea, quae a sáburra putrida biliosa primas vias, occupante oritur; frequens est mense Augusto, in Hungaria praecipue vidi ipsem et saepissime sponte orta cholera cito cessisse.* Curatur optime emeto catarrfi, quale medi-

camentum habetur in tartaro emetico magna aquae quantitate soluta , & per epicrasis sumto . Plura vide apud Tissotum in libello de febre biliosa , Lausannensi . Stoll.

§. 252.

Cum petechiis nunquam salutarem vidi-
mus haemorrhagiam &c.

§. 253.

Guttas rosaceas aliasque faciei morbosas rubedines , irritis aliis , cauterium cruribus affixum sanat , Baglivius ex Mercuriali ; id-
que quibusdam pro secreto est .

§. 254.

In faciei morbis purgantia omnem ab-
solvunt paginam , ut praeter experientiam testatur divinus senex in coacis , item l. c.
de diaeta .

§. 255.

Febres , quae cum magna sincope , singultu & vertigine incipiunt , vocantur a me-
dicis *syncopales* , *singultuosae* , & *vertigino-
sae* ; harum curatio statim inchoanda a vo-
mitoriis est ; nam fomes febrilis in ventriculo latet .

§. 256.

In febribus , vel aliis quoque morbis , qui cum magna anxietate incipiunt , aegri inquieti sunt , loco stare nesciunt , hinc inde per lectum agitantur &c. acris humor tunicas ventriculi afficiens accusari debet , unicum remedium est vomitivum antimoniale , nam absoluto vomitu statim liberatos vidi-
mus ;

mus; multo magis si cardialgia & affectibus
stomachi sensibiliter laedatur patiens: post
vomitoria ad praecautionem dari poterit pul-
vis March. cornachini.

§. 257.

In lethalibus pulmonum morbis, cum
febre & sine febre, fere semper circa finem
observavimus affectiones capitis; sopores
nempe, lethargum, vertigines, oculonem
caligines &c.

§. 258.

Erysipelate faciei laborantes vidi brevi
curatos post praescriptum purgans remedium,
naturae aegri accommodatum. Idque in secretis
erat medico Patavino mihi amicissimo.

§. 259.

Protest venarum haemorrhoidalium aper-
tio iis praecipue, qui hypochondriorum
morbis, doloribus scilicet & caloribus eo-
rundem, gravitate lumborum, flatibus, ten-
sionibus, borborygmis, aliisque huiusmodi
naturalium viscerum, & quam plurimis vita-
lium, & animalium laborant. *Hippocrates*
autem ait l. de humoribus et 6. epidem. qui
rhaemorroidibus laborant ii neque pleuritide,
neque furunculis, neque tuberculis a ciceris
magnitudine Therminthi dictis ac forte, nec
lepra nec vitiliginibus laborant.

§. 260.

Si pleuritici non repurgari incipient die
quarta, sed febris augeatur cu[m] aliis symp-
tomatibus, nec non magna spirandi difficul-
tas

tas cum stertore superveniat, septimo die moriuntur: in hisce pedes tumefieri incipiunt ante mortem, & oculi caligant.

§. 261.

Calculum vesicae ad amussim mentitur scirrhus vesicae, ut bis in cadaveribus vidi mus.

§. 262.

Urina crassa, & sedimentosa, albicans, viscida, matulisque adhaerens inter, signa calculi in vesica non infimum locum obtinet.

§. 263.

Qui aneurismate interno laborant, vel ex sputo sanguinis, vel derepente moriuntur: caveant hi omnes a nimio motu, ira, venere, liquoribus spirituosis, & quidquid sanguinis motum adauget, & perturbat. Utendum diaeta lactea, cibis aliquantum viscidis, & motu moderato.

§. 264.

Pulsus durities semper comitatur pleuritidem, nollities vero alios pulmonum morbos: quod tibi sit inter signa distinctiva morborum pectoris difficillime cognoscibilem.

§. 265.

Si quis tussiendo alba quaedam veluti granula excreaverit, & granula illa compressa digitis sumopere foeteant, vomicam pectoris latentem certo denuntiant, praesertim si alia quoque aderint signa; hi rupta vomica, ut plurimum derepente moriuntur, ut observat *Forestus*.

§. 266.

§. 266.

Omnis aliarum partium suppurationes manifestantur per rigorem & febrim supervenientem ; sola pulmonum suppuratio , id est vomica eorundem , clanculum , & sine predictis signis supervenit ; quod serio notent iuvenes .

§. 267.

Si angina vera inflammatoria , & ut vocant , sanguinea , bina sanguinis missione non cedat cucurbitulas scarificantes scapulis imperato , & in melius statim abibit , ut pluries vidimus .

§. 268.

Mulierem frequenter angine obnoxiam , irritis aliis , liberari excitato cauterio in brachio ; imo in morbis circa collum , & faciem proficua semper sunt cauteria , & scarifications scapulis &c .

§. 269.

Si in morbo aliquo appetitus sit prostratus , postea vero derepente superveniat maximus non procedente ulla crisi , nec imminentie morbi paulo post moriuntur aegri ; significat enim cerebri laesionem & virtutis sensitivae extinctionem . Est hoc monitum Sennerti .

§. 270.

Nemo ante Baglivium vim corticis peruviani expertus est in clystere . Hic enim primus puerum quinqueni omnia remedia per

os sumenda respuenti, in tertiana duplice, injecto mane clystere avacuante, post elapsam semihoram curavit iniici aliud ex aqua hordei & drachmae unius corticis. Idque repetit singularis diebus. Post iniectum tertium clysterem febris cessavit.

§. 271.

In pleuritide & puerperio tanquam pestis fugienda sunt purgantia.

§. 272.

Praecipui puerparum morbi fiunt a suscepto frigore, ab animi passionibus, victu copioso ac frigido.

§. 273.

In superpurgatione statim prodest theriacae drachma una in vino data. Ita observavit *Dodonoeus* & *Baglivius*.

§. 274.

Duo maxima remedia in chronicis obstructionum morbis sunt, chalybs & rhabarbarum. Ita praescribit *Baglivius* R. Chalybis sulphurati vel alterius gr. xv. Rhei elect. scrup. j. M. Sumat pro dosi, & superbibat.

§. 275

Morbi ab animi pathemate pendentes blande & leniter tractandi sunt: a nimia medicamentorum copia & vehementia quam maxime abstinentur.

§. 276.

Desideramus historiam morborum ab animi curis provenientium, in qua scilicet explicetur, qui potissimum morbi a quovis animi

mi motu orientur &c. nam e. g. moeror nil aliud frequentius producit, quam diarrhaeas, qua diu persistente moeroris causa fiunt incurabiles, quibus denique febris eratica supervenit, & atrophia ac mors.

§. 277.

Ad iram pariter diarrhea supervenit, & si haec non superveniat, febris supervenit, dummodo ingens fuerit ira.

§. 278.

In gallia sutura tendinum vulneratorum, operatio bubonoceles, cura ulcerum chronicorum feliciter succedunt, contra in aere romano, etiamsi a solertissimis chiruriatris institutae fuissent dictae operationes, in summum vitae discrimen coniiciebant aegrotantem. Febres semitertianae, quae alibi raro in malignas transeunt, Romae magna ex parte sunt malignae, vel potius valde periculosae, quod & olim Galeno Romae degenti innotuit.

§. 279.

Vetus latium desertum fere hodie est, & squallidum; austri flatibus immediate obicitur, & variis eiusdem in locis insaluberrimus aer observatur — — Aestivo praesertim tempore pernoctantes ibi febre maligna coripiuntur — — estque febris sui generis — — signa coagulationis in eodem apparent; ideo observatur, usum vesicantium & alexipharmacorum eidem summopere prodesse, contra sanguinis missionem esse quam maxime perniciosa. *Coagulatio Baglivio id fuit,*
quod

quod nobis putredo aut dispositio ad putredinem est. Stoll.

§. 280.

Qui copiosis ciborum ingurgitationibus absque noxa indulgere cupiunt, opportet ut vel multum exerceantur, vel alvum bis terve per diem solutam procurent.

§. 281.

Purgantia forma pilulari exbita nec copiose, nec feliciter alvum solvunt. Contra forma potabili, & mediocri dosi magnam afferant utilitatem.

Si etiam purgantia forma ficca praescribantur, tamen incipiente operatione bibatur aqua leniter purgans, saltem brodium tenue, aut e.g. Robitiensis. Diluentium usus non tantum in purgantibus forma ficca praescriptis, sed & in aliis forma ficca & spirituosa indole praeditis. Stoll.

§. 282.

Romanis alvum liberam & exercitacionem summopere suasit *Baglivi*. Doctissimus *Petronius* adinvenit electuarium purgans, ab eius nomine alexandrinum dictum: nobile quoque dedit opus de victu Romanorum — — atque tria urbis incolis familiaria mala esse, scilicet 1. capiplenum 2. membrorum lassitudinem, & 3. alvi siccitatem.

§. 283.

In curatione vulnerum atque ulcerum cavendum erit ab unguentaceis remediis, per quae saepius in peius ruunt. Post vero bal-

samica, decoctiones vulnerariae, spiritus vulnerarii.

§. 284.

In acutis concratio & sagax medici in agendo iudicium, magnam vim habent ad sationem, & quamvis saepissime sponte sua solvantur nunc casu, nunc natura favente, nullibi tamen graviores committunt errores medici, quam in acutorum curationibus.

§ 285.

Inepta Galenicorum hypothesis fuit in affectione hypochondriaca de *hepate calido* & *ventriculo frigido*.

§. 286.

Duretica in morbis pectoris generaliter optima sunt, reiectis tamen diureticis acidis, quae noxia & infida, pulmonemque erodontia, ac sanguinem in eo figentia, ut experientia constat.

§. 287.

Chinchina remedium est profecto herculeum in curatione intermittentium, dummodo tamen non detur si aderit, suspicio inflammationis alicuius visceris, vel abscessus interni, vel etiam morbosa partis alicuius debilitas & dispositio; nam talibus in casibus non tollit, sed auget febrim, omnem materiam morbosam in affectum locum deponendo, ac figendo &c.

§. 288.

Ad demulcendos vehementes partium dolores insigne remedium est bezoardicum

ioviale, momento namque impetum spirituum & salium furentium coercet, cave tamen ne dolores illi podagrī sint, aut venerei, vel similes, quorum detecta materia peiores morbos posset excitare: cave pariter, ne illud adhibeas in nervorum & non nullis gravibus capitis morbis v. g. apoplexia, paralysi &c. quippe quod nervis & cerebro infidum est ac noxium.

§. 289.

Flatus qui prius non aderant, si in dysenteria per inferiora exire incipient, brevi sanitatem promittunt. Ut aliquoties observavit *Baglivius*.

§. 290.

Iliaco pessimo habenti si flatus multi & foetidi pedendo erumpant, brevi mortem minantur.

§. 291.

Si puer ventrem frequenter manu contractat, vermium ibidem latentium signum est.

§. 292.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, iis fortes fiunt febres. Hippocrates Sect. 4. Aphor. 53.

§. 293.

Nares rubras habentes lubrici sunt corpore Hipp. epidem.

§. 294.

Sudor multus per somnum, citra causam manifestam factus, copiosiore alimento cor-

corpus uti significat. Quod, si cibum non assumenti hoc accidat, vacuatione indigere significat, *Hippocr.* Sect. 4. Aphor. 41.

§. 295.

Saepe observavit *Baglivi*us, periodicos quosdam dolores, ac morbos, periodice scilicet exacerbantes, si quasi essent soboles febrium periodarum urinam, lateritio colore, sive impense rubro tinctam, comitem habere irritisque aliis remediis per diuretica, incidentia, amaricantia, et febrifuga prudenter, id est, tempestive et cum diureticis et purgantibus mixta, more febrium intermittentium feliciter curatas esse.

§. 296.

Sensus frigoris in vertice capitis inter maxima hysteriarum diagnostica recenseri meretur.

§. 297.

Ante paroxysmi podagrī insultum nulla insignis intumescentia partis observatur, sed duntaxat quaedam venarum protuberantia affecto loco circumpositorum, quae quidem omnibus paroxysmi insultibus familiaris est, et singulos praecedit; estque signum veluti characteristicum jam-jam advenientis podagrī.

§. 298.

Pluries observavit *Baglivi*us in nonnullis podagricis, quod cum repente materia podagram efficiens evanuerit sive retrocesserit, inciderint in vehementissimos ventriculi dolores, et vomitus biliosos, exinde vero in icteritiam, a qua brevi evaserunt, repetito ter quaterque rhabarbari usu.

§. 299.

Multis ante invasionem paroxysmi podagrī superveniunt dolores colici, quibus evanescen-
tibus statim manifestatur podagra.

§. 300.

In tumoribus pedum (qui oedematosi ad-
parent) ante vel post podagram apparentibus
nullum, omnino, nullum inquam, neque internum,
neque externum adhibeas remedium, eo potissi-
mum nomine, ut materiam illi a pedibus averte-
res: siquidem observavimus saepissime post ex-
hibita purgantia, diuretica, aut sudorifera mate-
riam illa a pedibus ad interiora retrocessisse, et
apoplexiā, asthmata, febres, aut mortem re-
pentinam produxisse, idque infallibiliter sit topi-
ca, aut resolventia, aut alterius generis (ut fieri
solet) externa remedia oedematosis pedibus ad-
hibueris. — — — Conducit igitur in podagri-
cis hoc pedum oedematismo, omnia naturae com-
mittere, primis coctionibus prospicere, diaetam
et exercitium instituere.

§. 301.

Purgantia et sudorifera fortiora non ita bene
cedunt arthriticis, et quantum diligentī observa-
tione colligere potui (Baglivius) optima rerum
sex non naturalium diaeta, nec non remedia sto-
machia omnem absolvunt paginam in podagricis
et arthriticis.

§. 302.

Circa aequinoctia et solsticia podagra exa-
cerbari solet.

§. 303.

Desideratur historia morborum vere incur-
abilium, vitio solidi, vel ex impossibilitate, non
autem vitio liquidi aut ex ignorantia.

§. 304.

Desideratur historia morborum, in quibus
aegroti liberum sensum et rationis usum usque
ad ultimum vitae spiritum exerceant, et in qui-

bus illum prorsus amittunt multis ante morbum
diebus etc.

§. 305.

Hortatoria ad medicos in describenda perpe-
tuò historia morborum a nobis, et generalibus
aëris influentiis, et antecedenti anni temporum
statu pendentium.

§. 306.

Coelius Aurelianus, sectae methodicae prin-
ceps, videtur in detegendis signis et morbis a
se invicem distinguendis ceteros graecos et lati-
nos longe superasse — — illius enim opera gra-
vium praceptorum seminarium sunt.

§. 307.

Fluor albus uterinus et gonorrhœa gallica
adeo similibus concomitantur symptomatis, ut
quilibet medicorum fere semper decipiatur in il-
lorum diagnosi. — — *Baglivi* dat hoc infalli-
bile signum tales morbos ab invicem distinguen-
di. Pete a muliere, an superveniente menstruo
sanguinis fluxu perseverat quoque eodem tempo-
re fluor illae albæ materiae; si dicat quod sic,
significato eidem, quod morbus, a quo divexa-
tur, sit gonorrhœa gallica. Si vero durante men-
struatione fluor albus evanescat, et eadem finita
denuo regrediatur, pro certo habeas, mulierem
fluore albo uterino laborare, cetera signa fal-
lunt.

§. 308.

Inter signa foetus mortui in utero haec po-
tissima judicantur ab auctoribus, nempe frigiditas
pectinis muliebri, foetor oris cadaverosus, con-
versio foetus hinc inde ad latera, et alia hujus
generis; quae quoniam saepissime decipiunt me-
dentes, infallibile omnium recenset *Coelius Aure-*

lianis: si mulier gravida ingenti conatu foeces evacuandi , id est , tenesmo detineatur , aliaque signa etiam aderint , pro infallibili habeto , foetum in utero esse mortuum . Hujus asserti veritatem ipse quoque *Baglivius* observavit semel Patavii et iterum Romae .

§. 309.

Signa hydropsis pectoris valde obscura sunt et dubia ; si tamen aeger dyspnœa afficiatur , hora somni potissimum ingravescente , ita ut post paucas horas somno impensas de repente expergiscatur , exergefactus suffocari se sentiat , fenestras aperiat , et liberum aërem exoptet , pro certo et infallibili signo habeas , aegrum hydrope pectoris laborare , nam et pedes intumescent , aliaque signa minus constantia aderunt . Nullius membra affectiones tam obscuris ad invicem confunduntur signis , quam morbi pulmonum , unde saepissime unum pro alio curare solent ignari practicantes ; præ ceteris tamen magnam errandi occasionem praebet tuberculum pulmonum , de quo Hipp. I. de medic. haec habet : tuberculæ equidem pulmonem *deprehendere* , et *dissolvere* posse , maxime artificiosum habetur itemque collectiones illorum impedire ; ita *Willifus* cap. de vomica pulmonum , disserens de tuberculo ait : *vitium hoc latet inter initia ita clanculum* , *ut vix ulla sui proferat indicia* , *sed tota ejus res in insidiis est* : eadem fere symptomata habet cum tuberculo morbosa pulmonum adhaesio ad costas . Verum tamen , quae nos observare potuimus inter constantiora signa , haec potissimum sunt re censenda : tales aegrotantes de cetero bene se habentes difficulter spirare incipiunt ; difficilis spiratio sensim augetur , inter spirandum non ster-

tunt, et nihil exspuunt, dolorem quoque in pectori sentiunt continuum, et dolentem in locum decumbere non possunt; sicca tussi laborant; tandem genae rubent, febricula supervenit; et negotio ad suppurationem vergente, alia suppurationis symptomata accedunt. Duo tamen pathognomica crudi et adhuc incipientis tuberculi signa sunt, tussis sicca, et dolor lenis in alterutro pectoris loco, cui arridet illud divini sensus text. 63. I. de morbis; *et quamdiu quidem umerulum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem, et tussim siccam inducit etc.* Qui tuberculo pulmonum laborant, saepissime de repente moriuntur, nam suppurato tuberculo pus erumpit in tracheam et suffocat. In tabidis si dolor vehemens lateris de repente superveniat, brevi delirabunt, febris magna accendetur, et paucis post diebus moriuntur.

§. 310.

Phthisis saepe est morbus secundarius a variis morbis principalibus v. g. lue venerea, scorbuto, ictero, chlorosi, asthmate, sputo sanguinis, ulceribus internis et externis, febribus, melancholia, variolis, hydrope, dysenteria, animi pathematis, studiis severioribus vel aliis innumerus hujus generis occasionibus pendens. Hinc varia phthiseos symptomata, varia medendi methodus, pro varia scilicet origine mali.

§. 311.

Hysteria non contenta incedere accidentibus sibi familiaribus, repentina scilicet sensuim oppressione, gulae strangulatione, sensu frigoris in vertice capitis, convulsionibus partium etc. saepissime imponit medicis sub specie doloris capitis, apoplexiae, palpitationis cordis, aliarumque

eiusdem affectionum; tussis, asthmatis, affectio-
nis colicae aut nephriticae, vomitus et diarrhoe-
æ, tumoris, dolorisque tibiarum, suppressionis
urinae, refrigerationis partium externarum, gra-
vissimorum dorsi dolorum, et hujusmodi quam
plurium morborum. *Baglivi*us curavit foeminam
asthmate hysterico laborantem, ubi omnia anta-
sthmatica irrita fuere, praescripto sale jovis in
aqua meliss. item apposito empl. matrical. My-
nichti; erat haec fomina aliis hysteriae sympto-
matis etiam obnoxia.

§. 312.

Asthma convulsivum fit a convulsione mu-
sculorum thoracis, aut diaphragmatis, aut fibra-
rum carnearum pulmonibus intermixtarum.

§. 313.

Colicam convulsivam non a frigidis intesti-
norum humoribus, secundum antiquos, sed a con-
vulsione et irritatione nervorum mesenterii pro-
venire, primus detexit *Fernelius* 6. pathol. 10.
eamque purgantibus, clysteribus, calidisque re-
mediis magis exacerbari, mitescere contra anti-
nervinis, dulcificantibus, et mere anodynisi.

§. 314.

*Baglivi*us vehementer hortatur medicos, ut
aegros suos sedulo examinent de causa *procathar-*
tica, quae internam ad actum provocavit.

§. 315.

Febris ardens a nimia venere producta non
curatur purgantibus, nec venae sectionibus.

§. 316.

In ischiade venerea profuit decoctum sarsa-
parillæ, antimon. crud. et cortic. nucum.

§. 317.

Ait *Baglivius* dispositionum internarum occultarum indolem vix detegi posse, ex ante acta tamen vita, et sex rerum non naturalium usu aut abusu divinare poterimus generalitatem quandam talium dispositionum, terreaene sint, an acres, acidae, humidae, inflammabiles, tensae, coagulabiles.

§. 318

Lingua præ ceteris sc. indicat intimorem morbos sanguinis statum; si acidus sapo in ea redundaverit, acidum sanguinis, vel aliorum humorum ab eodem derivatorum constitutionem manifestabit; si salsus salsam; si amarus, amaram; si viscidus, mucosus, et insipidus, talium partium copiam; si humida humidam; si sicca siccum et inflammatoriam diathesin. Demum pro seculo sibi sit lector, me certiorem de sanguinis statu indaginem aliunde non haurire, quam ex lingua — — reliqua enim signa frequenter fallunt, haec aut nunquam, aut raro. Cave igitur, ne discedas ab aegro in cujuscunque morbi curatione, nisi prius linguam inspexeris, praesertim, si de internis inflammationibus suspicio fuerit, quas tibi certissime explorabit lingua, utpote quae in minima inflammationum suspicione statim resicari incipit, et crescente inflammatione crescit pariter et siccitas linguae.

§. 319.

Wepferus exercitat. de apoplexia fol. 429. ait, se in cadaveribus febri continua extinxorum aliquoties, nonnunquam et in malignis sanguinem fluidum, nec post obitum coagulabilem observasse. *Simon Pauli* de febribus malignis §. 2. notat sanguinem phlebotomia emissum maxime rubi-

cundum, et colore proxime accedentem ad colorē floris cardinalitii, sive Trachelii Indici, nec non paucō perfusum sero se pluries in aegrotantibus observasse, qui cum tali sanguine semper de vita periclitabantur. *Baglivius* (idem etiam *Huxham*) hoc idem in peste a plurimis notatum esse, testantur historiae recentiorum.

§. 320.

Nemo curationem febrium feliciter absolvere poterit, nisi ante quaelibet adhibita remedia certior factus fuerit de statu sanguinis febrentis, scilicet an sit nimium concitatus, tenuis, inflammabilis etc. (id est an adsit dispositio sanguinis phlogistica) vel contra coagulabilis, latus, malignus etc.

§. 321.

Cura intermittentium optime peragitur solventibus; id est roborantibus salinis, et leniter alvum moventibus, nocent mucilaginosa, mere aquosa, purgantia fortiora, venae sectiones. Hinc optime convenit decoctum gramin. tarax. cichor. cum oxymelle, robo sambuci et sale medio. Neutrum seorsim sufficit.
Stoll.

§. 322.

In febribus intermittentibus praestant sumno pere amara, acria, lixivo-alcalina; amara haec calidaque materiam febrilem altius impingerent, nisi ter, quaterve per diem alvus moveatur. Alvum autem moventia etc. sine amaris calidisque debilitando nocerent. *Stoll.*

§. 323.

In plurimis febribus diuturnis ac chronicis nonnullis morbis magnam afferunt utilitatem medicamenta quaedam austero amara de genere fere adstringentium, uti sunt chinchina, tormentilla,

radix pentaphylli, alumen crudum, chalybeata, cortex fraxini, medicamenta vitriolico-martialia, aliaque hujus generis, quae adstringendo operantur. Haec enim mala ab elanguido solidorum fluidorumque tono, non autem a decantata viscerum obstructione pendent.

§. 324.

Multiplici experientia didici (ait *Bagliviūs*) colicas convulsivas pertinacissimas et veluti ab orgasmo spirituum productas post venae sectionem institutam et remedia anodyna maxime diluta brevi ac feliciter sanari.

§. 325.

Ubi sudor necessarius est et irritis quibusvis remediis non erumpit, mitte sanguinem, et statim erumpet.

§. 326.

Bagliviūs ait, morbi a strangulatione sive, ut ita dicam, arctatione humorum aut spirituum in aliqua parte, nullis aliis remediis adeo facile solubiles, quam per sanguinis missionem *in loco affecto vel proximiori institutam*.

§. 327.

Arthritis facile mutatur in colicam, omnes calculosi facile fiunt icterici; ex scabie retropulsā vel male curata quam plures infausti morbi proveniunt, uti sunt sputum sanguinis, apoplexia, hydrops, febres longae etc. Scabies quartanario superveniens bonum.

§. 328.

Apoplexia pituitosa correpti facile pallescunt, gravissimo sopore corripiuntur, pulsus habent exiles; vomitoriis, purgantibus optime cedunt, a sanguinis missione ingravescunt; contra in sanguinea, rubore suffunditur facies, vasa sanguife-

ra capitis maxime turgent, sopores non sunt vehementes, nec pulsus adeo exiles etc.

§. 329

In colica biliosa contingit saepissime aphonia, et vox rauca, duratque interdum per totum morbi decursum; haec eadem vox rauca observatur pariter in febribus a bile ortis, quamobrem arguere merito possumus, raucas hujusmodi voices et aphonias in acutis et similibus morbis sub-indicare nobis causam proximam illorum pendere a bile, sive partibus acribus, volatilibus, sulphureisque. Ista aphonia solet non raro esse prodromus convulsionum epilepticarum in colica. Dolores nonnunquam observantur stata periodo ad instar intermittentium invadentes; si haec succedant, pro certo habeas causam proximam illorum aliunde advenire, nec in affecto loco generari: irritisque quibusvis remediis observavi (Bagliivius) quod si tribus horis ante invasionem doloris lene purgans exhibeatur, praesertim in imo ventre tragoediam excitat et brevi, feliciterque subripietur; imo quicunque alii periodici dolores per repetitas hujusmodi purgationes prout nus recedent.

§. 330.

Abscessus latentes hepatis per intolerabiles cruris aut surae dolores nullis remediis cedentes manifestantur. Vide *Hollerium* com. 2. ad l. 2. Coac. Hippocrat. fol. 348. idem pariter observarunt *Jacotius* in Coac. *Hippocr.* et *Bauhinus* in suis observationibus, et tabulis anatomicis.

§. 331.

Observavimus nos, quamvis in tertiana magna bilis copia evacuata fuerit, febrim magis atque magis exacerbari, et ex simplici duplice,

ex duplice chronicam aut lethalem demum evadere (Ita Baglivius). *Lenia eccoprotica, salina, roborantibus juncta, et forma liquida propinata propria solventia dici merentur, nequaquam autem stricta purgantia. Solventia talia vere indicantur, non autem purgantia. Stoll.*

§. 332.

Teste *Henrico Heer* aqua spadana, quamvis in promovendis diu suppressis menstruis expertissima sit, eorundem tamen nimium fluxum quovis alio remedio facilius etiam feliciusque sistit.

§. 333.

Febres intermitentes ab adhito in principiis purgante in pejus ruunt, continuae fiunt, et si purgantia repetantur, diurnae et lethales evadunt.

§. 334.

Baglivius sequentia remedia vocat specifica: in intermittentibus corticem peruvianum, in dysenteria serum lactis; in lue gallica mercurium et sarsam; in affectione hysterica sal aut bezoardicum, aut jovis. In doloribus post partum tinctura succini cum aqua cinammomi extracta, et exigua syrapi cinammomi quantitate addita. In ictero flavo spiritus salis ammoniaci acidus.

§. 335.

Lac est specificum remedium ad sanguinis acrimoniam compescendam: tutius exhibetur verno et autumnali tempore quam aestivo. Si diarrhaea ex ventriculi cruditate viget, abstinentum pariter ab illius usu erit; aegrotis ex nervorum capitis affectionibus noxiis maximopere est lac. Lac nervis et capiti contrarium; pectori familiare, infimo demum ventri flatuosum.

Saepissime observat *Baglivius* in praxi, methodum recentiorum per remedia spirituosa volatilia, et impetum facientia, morbis chronicis summopere conferre, acutis contra summopere obesse.

§. 337.

Limaturam martis, cinnammomum et saccharum *Baglivius* saepius adhibuit: item succos cichorii, borraginis et sonchi.

§. 338.

Multa scire oportet medicus et pauca agere, dum ad curationem morborum vel nimis acutorum, vel complicatorum descendit. Errant, qui putant, morbos facilis luis non sanari, quam per grandia et copiosa remedia.

§. 339.

Hippocrate et experientia teste certum est, tertianas simplices septem circuitibus sua sponte recedere.

§. 340.

In rusticis et qui medicorum opera non utuntur, jucundo sane documento hujusmodi crises, sive despumationes peccantis materiae per sudores, alvi fluxus, urinam, aliasque naturae vias perfici, et motu prorsus ordinato fieri videmus.

§. 341.

Hippocrates ipse in febrium praecipue acutarum curatione paucissimis utebatur medicamentis, et si excipias lene vomitorium, clysteres, aut simile remedium, quod circa initia adhibere cogebatur, in progressu morbi sola ptisana ad morbi genium varie temperata contentus, et naturae reliqua committens, adsidens illius spectator crisin expectabat, ut constat ex illius libro de diaeta acutorum etc.

§. 342.

Hippocrates diuturna edoctus experientia, naturam esse morborum, praecipue acutorum, medicatricem, in illorum curatione, post praescripta paucissima in principio morbi medicamenta, dum res ad statum tendebat, a remediis prorsus abstinebat (dummodo tamen morbi genus et malignitas idem permetterent. Stoll) et omnia naturae comitens securus crisin exspectabat.

§. 343.

Pauca sunt curandis morbis necessaria remedia, si morbus curam recipit; si vero fuerit incurabilis, usu remediorum vires acquiret, aegrotumque conjicit in discrimen; incongruis enim remediis digestionis facultas extenuabitur, et comparabitur in dies novus morbo fomes in aegri detrimentum. Cum febres aliique morbi in longum protrahuntur tempus, nulla est ratio medendi melior, quam pharmacis abstinere, adhibito tantum conveniente victu, quo foveatur natura etc.

§. 344.

In chronicis pauca requiruntur remedia, ejusque sint generis, quae parti affectae convenient quasi specifica. Semper tamen in morborum diutinitate consulendum est digestionibus.

§. 345.

In curandis febribus universalibus, id est, quae ipso de sanguine suscitantur, non admodum laborandum est circa partem affectam, ut inde curativae deducantur indicationes: febrium siquidem primordia partesque affectae in iisdem nos plerumque latent, et si unquam paterent, oportet indicationes dirigere ad constitutionem massae sanguineae febricitantis potius, quam ad so-

phisticam speculationem causarum proximarum — — — ideo si primae viae sint obductae eaeque egerendae atque expurgandae fuerint, danda opera, ut febrium fomes tollatur; si vero sanguis febricitans sit exaltatus et vehemens, ejus reprehendus est impetus; si nimis crassis humoribus irretitus, atque coagulatus, exaltetur ac dissolvatur. In his enim tribus praeceptis omnium prope illarum febrium cura versatur, quae ortum non ducunt ab organi laesione, verum ab humorum congluvie, aut in ipso sanguine, aut in primis viis, et cum ad crisin natura vergit, aut eam jam excitaverit, tum a remediorum copia, tanquam a peste cavendum. Ex odore, quem aegri spirant, soleo saepe, ait *Baglivi*, utrum morbus facilis aut difficilis, brevis vel diuturnus vel alterius generis futurus sit, judicare.

§. 346.

In aegris, qui morituri sunt, nonnullis ante mortem diebus, solet, dum pulsum tangimus, ab eorum exhalare corpore foedus quidam ac veluti cadaverosus odor, qualem spirant in templis cadavera, et saepe observavi, et velim, ut serio animadverterant medici.

§. 347.

Vidit *Baglivi* singultus frequenter excitatos a nimio stibii diaophoretici abusu.

§. 348.

De morbis pulmonum, etiamsi peritus in arte sis, vel censearis, noli cum jactantia practice de illis disserere, vel facilem promittere curationem. Acuti namque licet curabiles sint, derepente tamen aegrum jugulant, medico stupente ac ne cogitante. Chronicī vero derepente quoque necant, curatuque difficillimi sunt, et si curan-

tur, non ab ignaris, sed ab acerrimo praeditis
judicio curantur.

§. 349.

Hippocrates in morborum curis nil magis p̄aecepit, quam balnea, fricationes, exercitationes, unctiones, ustiones, incisiones partium usque ad ossa. Ablutiones capitis, purgationes per sternutatoria. Ejusdem lotiones, vellicationes, succussiones, ac hujusmodi remedia in solidis humani corporis facta vim suam exercentia, quoniam iis p̄aecipue adhibentur, non autem in fluidis nisi solidorum ope. Per os etiam, si helleborum excipias, et frequentem seri usum, et lactis in morbis plurimis, pauca alia remedia adhibebat.

§. 350.

Quibus capite vulneratis, letargi avertendi caussa, vesicantia adplicantur, ii confestim perreunt. Vesicantia nocent delirantibus viris magis quam foeminis. Potus tunc juvant, balnea tepida et emollientia ventri, pedibus et palmis adplicata. Sectio salvatellae etc. Imminente vel actuali delirio hypochondria sunt intro pressa. Bulbus oculorum immobilis, et quasi saxeus, lingua balbutiens, et plerumque tumescens, arida et siccata. Totum corpus veluti tensum et parum flexible. Praeterea semper p̄aeit gravis capitis dolor, suppressis tunc etiam ordinariis excrementis. Dum aeger delirat, filtra omnia glandularum pa-
rum segregant etc.

§. 351.

Vidit *Baglivi* foeminam, quae frequenter tubercula in osse menti habuit, imo durante menstruatione ossa clavicularum tumescabant, eaque desinente evanescebant.

Ossa facile rumpunt in gallicis et scorbuticis etc.

Ostendemus itaque *cor — particularem* super iis potestatem, et a *cerebro independentem* habere.

Morbi, qui nerveis et membranosis in partibus fiunt, graves, periculosi, et difficillimae curationis sunt, et fere semper capiti consentientes; et quod sane mirum atque notatu dignum, nulla tunc temporis in partibus sanguineis, in ipso sanguine et in corde apparente mutatione.

Pulsus serrinus et durus semper indicat vitium in partibus membranosis ac nerveis, subinde autem periculosus erit, si cum periculosis conjugatur accidentibus; in doloribus capitales vehementibus pulsus fiunt parvi et imperceptibles pene, idem fit in doloribus aliarum partium membranosarum. Quod tamen medicum terrere non debet, nam familiares sunt pulsus parvi in talibus doloribus. In pluribus aegris pleuritide laborantibus observavi saepe pulsum manus positae a latere partis affectae semper esse parvum et exiguum; in rigore febrium pulsus contracti quotidie observamus.

Paralyses universales vitio affectionis hystericae relatae a Boile de utilit. philosoph. nat. f.

Tympanitides universales ob vulnus partium nervosarum ex Villisio Tom. 2. fol. 145.

§. 358.

Novit *Baglivi* vetulam septuagenariam diro asthmate cum tussi continua laborantem: haec quoties ambabus manibus fortiter comprimit verticem capitis, toties cessant statim pro tempore, quo durat compressio, et asthma et tussis catarrhosa, statim vero ac manus aufert, iidem morbi denuo redeunt etc.

§. 359.

Membranarum morbos magna ex parte periodicos observavit *Baglivi*; cephalalgiae exacte periodicae frequentes sunt.

§. 360.

Observavit *Baglivi* in iis, qui anevrismate interno laborant, ex ea parte, in qua est anevrisma, sive eam partem, cui arteria anevrismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum ac demum paralysi laborare; adest et palpitatio cordis, vertigo, frequens syncope, spirandi difficultas, inaequalitas pulsus.

§. 361.

Fol. 303 de fibra motrice hoc exemplum hominis calculosi, odore oris vitriolico, mictu sanguinis atri, foedissimi, vitriolici laborantis et sanati. Fors morbus hic idem est cum prima specie morbi nigri *Hippocratis*, de quo *Tissotum* vide: folio 304 de fibra motrice vide plura apud *Baglivium* de fluxu nigri sanguinis per alvum. Ubi dicitur, hunc fluxum a morbo mesenterii, uti et lumborum liberare. Juvat serum lactis cum succis herbarum, et lenia purgantia per intervalla.

§. 362.

Pleuritides siccae, asthmata sicca, hydropses sicci, solidorum vitio magis, quam fluidorum oriuntur.

§. 363.

Qui nimium sanguinei sunt, et facie rubicundi, in convulsivos morbos aetatis progressu incident. Mulieres nimium sanguineae, calidae et rubicundae, doloribus uteri atrocissimis circa tempus menstruationis vel quolibet alio tempore ob dictam causam patiuntur.

§. 364.

Ex abusu purgantium in hydrope sicco, crescit magis pedum, ventrisque tumor. — Laxandum potius est solidum nimium crispatum, deinde remedia danda sunt; ideo saepe hydropses sicci circa finem hydropses humidos post se trahunt.

§. 365.

Medicamenta purgantia, diuretica, et apertientia nimium acria, quae reserandis viscerum vasis praescribuntur, si morbus a solidis, non a fluidis cooperit, non reserant vias, sed magis intercludunt, — — resque desinit in cancros, scirrhos, et lethales viscerum obstructiones. Quod saepe experimur post partum difficultem, post diuturnos mensium, lochiorumque suppressiones, et hic de reliquis liquidorum suppressionibns, solidi vitio productis, discurrendum.

§. 366.

Delirium a fortissimo durae matris elatere productum, nullo remedio citius sedatur, quam fomento aquae tepidae pedibus, ventri, et volis manuum per spongas facto — — quod usu vesicantium potius exasperatur.

§. 367.

Post molesta pedum erysipelata nascuntur œdemata diuturna et incommoda; quae vix cedunt remedii intus sumptis, sed tantummodo fomentationibus herbae alicujus vulnerariae et mollientis.

§. 368.

Maniacorum vis incredibilis a maxima fibrarum excitatione producitur. *Baglivius* (*hinc prosunt balnea tepida, potus emollientes, relaxantes; nocent per se vesicantia. Stoll*). Hujusmodi homines plerumque siccii sunt, nigris capillis praediti, cutis colore nigro, naturaliter impatientes, volubiles, et ad operationes promptissimi.

§. 369.

Quid aliud quaeso est, quod pluribus in locis memorat magnus senex, *plures mulierum morbos ab utero inverso pendere*, nisi merum solidi, sive fibrarum uteri vitium, quae semel nimium crispatae raro pristinam recuperant mollitiem. Et ab hujusmodi morbosa crispatura quotidiane menstruorum, lochiorumque etc. suppressiones persaepe oriuntur (*huc pertinet pertinax mensium suppressio in Domina de F***, et in Comitissa M** Stoll*).

§. 370.

Lochia ob nimios dolores post partum statim supprimuntur, nec non ob dolorem mammorum; nec fluent, nisi prius dolor cessaverit, id est, lenita solidorum morbosa oscillatione. Ob hanc causam renibus dolore vexatis urinae fluxus frequenter intercipitur.

§. 371.

Mulieres nonnullae magnum in corpore calorem fere continuo sentiunt, praesertim hystericae, hypochondriace etc. crispatis enim interna de causa viscerum fibris, fluidorum cursus tarde per ea incedit, et ita caloris sensum in ea producunt. Pedum immersio in frigidam, poculum frigidae, perfrigeratio pedum, actu fluentia menstrua intercipit, scilicet ob crispatas fibras; juvat hoc in casu balneum aquae tepidae, et in cōvena pertusa.

§. 372.

Binas mulieres ob hysteriam vehementissime affectas, vigiles et innumeris lacesitas symptomatis sola gestatione currus per plures menses; et hominem nobilem, et alium divitem hypochondriace affectos ac pene desperatos equitatione super asinum in aëre rusticano facta, perfecte sanavit *Baglivi*.

§. 373.

Diarrhoea cum variolis in principio non nocet etc. In puerperis superveniente ardente febri lochia supprimuntur, nec redeunt nisi remisso calore febris. Lac in mammis, pus in ulceribus, et reliquae ordinariae evacuationes, nec non sudoris, secessus, sputi etc. eodem febris ardore durante silent.

§. 374.

Ubi catarrhi sunt, ibi statim suspicandum est lympham peccare: ea enim sola sedes catarrorum est — — membranae vocari possunt telae pituitariae, quae quando longo catarrorum cursu nimium laxantur, iidem curari non poterunt, nisi restituatur tonus laxatis fibris. Lignum sassafras remedium ad id praestantissimum est;

catarrhi ex lympha acri et tenui noctu potissimum affligunt; ex crassa indifferenter.

§. 375.

Juveni nimis rerum salitarum et victus prorsus exsiccantis usu alvus taliter exsiccata fuit, ut difficillime solveretur, adhibitis quibuscumque humidis cibis et oleribus; cum *Baglivi* existimare coepisset, ventris stipticitatem non vitio fluidi, sed fibrarum intestinalium fere convulsivarum et exsiccatarum ob ante dictam diaetam provenire, usu butyri recentis in formam boli cum saccharo praescripti, perque dies multos assumpti, nec non balneis aquae tepidae per totum ventrem, pristinam lubricitatem recuperavit. Plures hujusmodi alvi exsiccationes observantur in praxi.

§. 376.

Qui ulcera in cruribus, aliisque in partibus gerunt, si generosum biberint vinum, eodem vix ingesto plaga inflammatur.

§. 377.

In febribus syncopalibus, vertiginosis, et singultuosis, quarum causa est acre quid corrosivum tunicis stomachi impactum, easdem cri-
spando ac vellicando, gravissima mala producun-
tur, communicata capiti, cordi et diaphragmati,
vehementi ac morbosa oscillatione; unicum re-
medium est emeticum ex oleo amygdalarum dul-
cium, quod et fibras crispatas laxat, et acre ci-
curit lenitque.

§. 378.

Saepe observavit *Baglivi* in calculosis pul-
sum manus reni affecto respondentis parvum esse,
depressumque.

§. 379.

In nephritide quoque, qua parte est calculus, eadem succedit in capite hemicrania. Et in pleuritide pulsus ex parte lateris affecti depresso magis observatur, quam ex parte sani; idem forsitan succedit in doloribus aliarum partium.

§. 380.

Pulsus parvus in maximis doloribus neminem deterreat; familiaris enim est iis oriturque vitio solidi vasorum, fibrarumque irritati, crispative, non vero fluidi.

§. 381.

Post dolores partus excitantur cōlīcae sive intestinorum dolores, communicatis crispaturis ab utero ad intestina.

§. 382.

Erumpentibus dentibus in pueris lactantibus gravia succedunt symptomata vitio solidi tantum.

§. 383.

Dolentibus mammis post partum lactis causa lochia supprimuntur frequentissime. Remittente autem mammarum dolore, redeunt lochia.

§. 384.

Incipientes oscillationes spasmoticae in mesenterio in hysteris, si successive cerebro communicent, excitant in eo vertigines, vel dolores, sopores, aliasque similes affectiones.

§. 385.

Convulsiones infantum et puerorum ex abdомine putris ac congestae cacochyliae causa ferre semper excitantur.

§. 386.

Cum morbi convulsivi e. g. hysterici in vitio solidorum potissimum resideant, hinc sanari debent juxta regulas solidi curativas.

§. 387

Vidit *Baglivi* calculus magnum in renibus, et tamen patiens in vita de nullo renum dolore unquam conquestus est, sed tantummodo de gravi ac vehementissimo genuum. Pariter idem *Baglivi* cadaver mulieris aperuit, quae atrocissimis uteri doloribus extincta, et utero post mortem examinato, nihil in eo morbosи reperit, sed tantum in emulgente dextra abscessum, in qua nullum unquam doloris indicium praebuit.

§. 388.

Mulieres sanguineae et virilis naturae post 50. annum, cum menstrua eisdem naturae lege cessant, menstruis haemorrhoidibus per plures annos subjacent.

§. 389.

Suppressa haemorrhoidum evacuatione secuta est apoplexia letalis. Mictus sanguinis periodicus ac menstruus, incaute suppressus, letalis fuit. Ulcera imprudenter clausa mille mala pariunt. Hinc saepe fit, ut fluidum excrementitum, si per vias sibi proprias evacuari non possit, locum sibi faciat per vicinas. Hinc monialis, per sex menses ischuria laborans, vixit commode, quia quotidie sudabat in abdomen. Puer ischuria vexatus urinam per alvum educebat. Menstrua suppressa viam sibi faciunt per alvum, vel vias vicinas.

§. 390.

Si menses instant, vena brachii secanda, et fluent; si iisdem fluentibus eadem secetur, supprimuntur; non supprimuntur autem, si secetur saphaena.

§. 391.

In partu diffcili, vena secta brachii, foetus prodit, et in ischuria eadem secta urinam profluere facit teste *Forest*, quem *Baglivi* tanquam summum observatorem laudat.

§. 392.

Quibus in praecordiorum dextra aut sinistra parte tenditur aliquid in febre, cum dolore capitis, idque neque cum dolore praecordiorum, neque cum inflammatione, sanguis e naribus fluet. *Hippocr. l. praeonot. n. 25.*

§. 393.

Sicuti purgantia in morbis capitum summope-re proficiunt, ita diuretica in morbis pectoris. Morbi cutis, uti dolores artuum, foede ac pru-riginosae ejusdem maculae, in alvi morbos sol-vuntur. Alvi affectiones, uti diarrhaeae, colicae etc. in cutis affectiones migrant, et per cutis vias, nempe per diaphoresin, sanantur frequentissime.

§. 394.

Jecore affecto dolores ad jugulum e directo fiunt, tusses inanes spirandique difficultates; imo hydrops, qui ex morboso jecore pendent, ve-hementissimam sed inanem tussim conjunctam ha-bent, quae in aliis hydropum speciebus vix aut raro adparet.

§. 395.

Si pulmonicis tota lingua sit alba, et aspe-ra, ambae partes pulmonis sunt inflammatae, si medietas linguæ sit aspera etc. ea pulmonis pars aegrotat. Ita si dolor ad jugulum est, si fuerit ad dextrum, dextra, si ad sinistrum, pulmonis sinistra pars aegrotat.

§. 396.

Quidam, quoties tussiunt, mingunt.

§. 397.

In nephritide calculosa interdum adest haemorragia ex parte capitis, quae dolenti reni e directo respondet; stupor quoque crurum e directo, retractio testiculi e directo eandem ob causam fiunt.

§. 398.

In calculo vesicae adest in glande penis dolor, pruritus et irritatio continua, quod inter pathognomica ac certissima calculi vesicae signa est.

§. 399.

Dolores ischii, dolores lumborum ex infarctu congestionis pravorum ac crudorum humorum in mesenterio orti, ad genua et ultimos digitos protenduntur.

§. 400.

Dum febrilis horror aut frigus universam cutim convellit, tunc oleum destillatum caryophyllorum epigastricae regioni illitum remissionem horroris procurat undequaque.

§. 401.

Qui difficile sudant, apposito plantis pendulum latere calefacto, mirifice sudor illis promovetur.

§. 402.

Rigores et horrores, qui futuras suppurationes praenuntiant in partibus, in pulmonibus vel a tuberculo, vel a vomica, vel alia suppurations de causa aut nunquam, aut raro observantur.

In contusionibus cranii et laesionibus menin-
gum, si septimo vel undecimo die gravis super-
venit ophthalmia, signum mortis imminentis. Ex
gravi capitis percussione, impotentia ad vene-
rem.

§. 404.

In collectione puris in cavitate capitis ali-
quando succedunt vomitus, nausea, aliquando
metastasi ad jecur facta; jecur suppurat frequen-
ter in capitis vulneribus et contusionibus.

§. 405.

Phthisi supervenit tumor testium.

§. 406.

Succus semper vivi scroto illitus tollit haemorrhagiam narium. Acetum quoque eidem il-
litum tollit ebrietatem et narium haemorrhagiam.

§. 407.

Haemorrhagiae narium subito terrore sanan-
tur.

§. 408.

Gaudium et ira menses promovent; pavor
autem et moestitia stringunt. Verecundia partum
reddit difficilem. Mulieres gravidae territae, ve-
recundae post partum lochia sibi suppressimunt.
Uteri laxitas solo terrore sanata fuit.

§. 409.

Quam pauci mesentericas febres curare, aut
dignoscere sciunt! — — eas curabitis, solida
nimium intenta laxando, nimium laxata inten-
dendo, liquida nimium concreta solvendo, ac
per intervalla purgando etc.

§. 410.

Pueri in eruptione dentium alvi fluxu corripiuntur, vel convulsionibus, genua eisdem intumescunt, nec detumescunt, nisi diarrhaea superveniente copiosa fluit saliva; stertor viget, adest febricula cum vigiliis, variisque aliis accidentibus, quae sola parit solidorum irritatio -

§. 411.

Saepe observamus, quod si calculus post 10. vel 15. dies non descenderit ad vesicam, imprudenti diureticorum usu et nimia remediorum praescriptione, ut vulgo faciunt medici — — — magis magisque figitur calculus — — — quo in casu, crede mi lector, unicum remedium est, abstinere a medicamentis, nam sola quiete calculus tandem prosiliet. Idem esto judicium in difficulti lochiorum, menstruorumque etc. suppressione; quo plura enim dederis aperientia, eo magis crescit suppressio. In iliaca affectione, quae oritur a forti crispatura fibrarum intestinalium ab ano ad gulam, pauca juvare solent remedia, ex classe anodynorum et stomachicorum; nocent contra clysteres acres, remediorumque ingens copia. Revera igitur, dolores omnes nephritici, dolores omnes ante et post partum, hysterici, quiue instantibus menstruis purgationibus succidunt, a spasmodica fibrarum oscillatione pendent, totiusque curationis scopus dirigi statim debet in ea primum tollenda per fatus, balnea, et anodyna, laxantia remedia, denique fluido peccanti incumbendum.

§. 412.

Saepe tamen intentio haec, ingensque fibrarum veluti induratio pendere solet a nimio impetu, orgasm^e et acrimonia humorum, quo ca-

su, laxata sanguinis compage per phlebotomiam, laxatur quoque intensio duritiesque solidorum.

§. 413.

Ventositatem flatuosam venae sectione sisto. *Hippocr.*

§. 414.

Quicunque de repente voce destituuntur, si sine febre fuerint, venam secato. *Hippocrat.*

§. 415.

In hydrope quoque flatuoso sanguinem mittito. *Hippocr.* Hujusmodi etiam sunt urinae suppressiones, quae sanguinis missione solvuntur; suppressiones lochiorum, menstruorum etc.

§. 416.

Sunt, qui ob nimium fibrarum sensum et mollitatem facile syncopyzant et resolvuntur; facile quoque ob nimium sensum, sive fibrarum ariditatem capitis dolore laborant; in quo casu, quoniam dolor solidi vitio potius quam fluidi oritur, ad narcotica libenter veniendum, nam tuto applicari possunt, quoniam non aliud debent efficere, quam obtundere nimium fibrarum sensum. Pariter qui magis sensibiles fibras obtinuere, catarrhis fluxionibusque vitio solidi sunt magis obnoxii, ut inter ceteros pueri. Et quibus hectica intestinorum intemperies flatuum procreatrix naturaliter est, ob dictam fibrarum sensationem doloribus lumborum, et aliis, alisque extrema siccitate facile corripiuntur et facile in hydropem siccum tympanitidem cum atrocissimis doloribus et horrida viscerum tensione terminantur; quarum affectionum occasio et causa, licet ab extra venire possit, augetur tamen summoperre morbus ob nimiam eamque naturalem fibrarum sensationem, vividumque elaterem, Quare non

erit negligenda in posterum a medicis, prout hactenus factum est, cognitio atque doctrina solidorum cujusque corporis aegrotantis etc.

§. 417.

Nota. *Nimia ergo fibrarum muscularium irritabilitas morbos producit hypochondriacos et hystericos. Occasio vero et causa excitans varia admodum esse potest. Stoll.*

§. 418.

A tono languido et relaxato fibrarum in habitu corporis succi nutritii assimilatio debitusque cursus perturbantur, nasciturque phthisis, quam dicimus nervosam, sive phthisis in habitu corporis ob tonum eversum solidorum, in qua quidem curanda neque lactea, neque humectantia praescribenda, sed chalybeata, antiscorbutica, cephalica, et amara etc. — — — Lienteria interdum fit ob nimiam pylori laxitatem, et aliarum partium ventriculi irritationem nimiam.

§. 419.

Epiphora sive laxitas glandularum oculi serosam facit lacrimationem, irritisque aliis stringentia juvant vulneraria, quae tonum restituant.

§. 420.

A fibrarum nimia laxitate in tubulis renum sive atonia renum, lethales urinae suppressiones saepe oriuntur. Verum quoque diabetes aliquando succedit ob laxitatem viarum ab intestinis ad renes, curaturque per adstringentia et aromatica.

§. 421.

Ischuria sive urinae suppressio contingit ob torporem fibrarum vesicae: curatur per acria suppositoria, clysmata stimulantia et similia, quae fibras vicinas jure consensionis ad motum excitant.

Plura lymphae vitia a sola glandularum laxitate fiunt atque dependent, et medici sibi fingunt mille obstructiones, et mille falsas obstructionum chymeras. Idem in mesenterio quotidie observo (*Baglivius*) quando illi pallorem levis momenti in vultu vident, qui languidi stomachi, viarumque intestinalium laxatarum comes est indulus, putant ab obstructione fieri; mille statim dant inutilia remedia ex chalybe, ex amaris omnis generis — — — cum morbus sola masticatione cinnamomi, vel seminum citri, vel potu coffee, roboratis per haec fibris laxatis, non vero, ut ipsi putant, obstructis, prompte tolli potuerit.

§. 423.

Hydrocephali oriuntur in infantibus recens natis a nimia fibrarum cerebri laxitate, ob longam moram infantis in utero capite prono, dum vim facit, ut foris exeat in partu difficiliiori.

§. 424.

A nimia pulmonum laxitate saepe oriuntur phthises etc.

§. 425.

Fibrarum vesicae laxitas in pueris vesicae calculum producit, quia nequit ingentem visciditatem copiam, qua pueri scatent, oscillando propulsare.

§. 426.

Quidam ob naturalem pulmonum mollitiem et laxitatem sanguinem spuunt. De hoc corporis habitus te certum fortasse reddit.

§. 427.

Caelius Aurelianus de morbis solidorum optimè scripsit.

§. 428.

Sicuti vocis exercitatio conductit nonnullis pulmonis et capitis morbis, ita globulorum lusus calculo et renibus; sagitatio pulmonibus et thoraci; lenis deambulatio ventriculo; equitatio capiti et mesenterio. Quibusdam navigatio, ventione, rusticatio, ambulatio, iter longum per montana, vel per campestria, aliis musica vel saltatio; paucis vero, dum longo morbo tenentur, imprudentissimus remediorum abusus conferre poterit.

§. 429.

In colica pertinaci conductit iter aliquod, ut corpus plurium dierum equitatione excitetur, fibraeque mesenterii longo morbo relaxatae pristinas reassumant oscillationes. Id quod a remediorum acervo vix potuerit exspectari.

§. 430.

Cantus et vociferatio juxta Doctissimum *Mercuriale* convenit iis, qui humiditate occupatas interiores partes, quique corporis habitum frigefactum habent. Convenit et stomachicis, vomentibus, acidum ructantibus, aegre digerentibus, cibos fastidientibus, atrophia laborantibus, languidis, cachecticis, hydropicis, asthmaticis, phthisicis, apostemata rupta habentibus in thorace, difficile parturientibus, quartanariis, pituitosis, convalescentibus, fere omnibus. Galenus stomacho laborantibus unctiones, exercitia et vociferationem praescribit. Vide plura in *Mercuriali* de gymnastica, ubi pulchra leguntur de effectibus lecti pensilis, cunarum, natatione etc. item de balneis.

Laudat *Baglivi* usum balneorum publicorum, ad quae plures aegros misit, alios ut laventur, alios, ut strigili pelliceo fortiter fricentur; alios, ut primum paulum sudent in stupha balnei, dein balneum tepidae statim ingrediantur etc.

A quibus morbis ad quales transitus fiat, investigare oportet, *Hipp.* L. de morbis. Transitus fit in his ex pleuritide in febrim ardenter, ex phrenitide in peripneumoniam; ad dysenteriam tenesmus transit, et a dysentereia lienteria; ex lienteria in aquam inter cutem transitus fit. Ex pituita alba in aquam inter cutem; ex pleuritide et peripneumonia in pectoris suppurationem; si rigor corripuerit, ardor igneus supervenit. Nervus dissecatus convulsionem facit, neque coalescit et fortiter inflammatur. Si sauciatum cerebrum fuerit, febrim necesse est supervenire, et bilis vomitum, et aliquam corporis partem sideratam fieri, ac perire. Sanguis in supernum ventriculum affusus in pus convertitur.

Febris ardens desinit in pulmoniam frequissime. Phrenitis, pleuritis, et pulmonia eodem modo curandae. *Hipp.* de morbis.

Judicari in morbis est, quum morbi augeantur, aut marcescent, aut in aliud morbum transeunt, aut desinunt. *Hipp.* de affection. n. 8.

Melancholia mutatur in epilepsiam et contra. *Hipp.* 6. Epid. Sect, 7.

§. 436.

Dysenteria male curata convertitur in tertias, varicem, testem, crura, coxam. *Hipp.* de victu acut. Podagra mutatur in dysenteriam et alias infernas eliquationes, per quas sanatur. *Hipp.* 2. *praedict.* Dysenteria a variis magnis morbis liberat, quos vid. 2. *praedict.* Colici et dysenterici non raro fiunt arthritici. *Duret.* fol. 223.

§. 437.

Dysenteria, si intempestive sistatur, facit abscessus ad viscera, vel articulos; cruenta, ad viscera; biliosa, ad articulos, quae conversio certa est, et evidens. *Hipp.* *Coac.* 1. Dysenteriam bis mutatam vedit *Baglivius* in ulcera pedum et manuum foeda, semel in quartanam diuturnam. Dysenteria desinit in volvulum ex observatione *Baglivii Romae*. Dysenteria biliosa intempestive sanata desinit in abscessum ad articulos. In fine pulmoniarum et aliorum quamplurimorum pectoris malorum, comatosos videbis effectus. Vomitus diarrhoeam sistit. *Duret.* Gravis est omnis hydrops, gravissimus tamen, qui alteri morbo, potissimum quartanae omnium vetustissimae. *Duret.*

§. 438.

Quartana mutatur in rheumatismum, scabiem, et foeda ulcera.

§. 439.

Quae juvant pectori, juvant renibus ait *Baglivius* ex propriis observationibus.

§. 440.

Febres acutae ex aurium dolore sunt letales.

§. 441.

Quartana sanat epilepsiam, febris convulsionem, vel etiam catarrhum, asthma etc. sic etiam ophthalmiam diarrhoea, lienteriam ructus acidus, pleuritis pulmoniam, et phrenitis letargum.

§. 442.

Omnis accessio gravis mali ad grave malum, lethale est.

§. 443.

Spinae tuberculum dysenteria curat. Icterus frequentissime mutatur in tympanitidem. Tarterae et calculosae bilis concretiones, affectionesque in suis organis, tympaniticae sunt, ut fere decies observavit *Baglivi*.

§. 444.

Quae per sympathiam accedunt, omniaque epigenomena morbum primigenium omnino non solvunt.

§. 445.

Panaritium index pruritus cutis et futurae scabiei.

§. 446.

Saepe febres longas intermittentes per spirituosa et volatilia remedia in continuas mutare conatus fuit *Baglivi*, ad hoc ut continuitate celerius refermentescat, et digeratur peccans materies.

§. 447.

Hydrops siccus ventris; hydrops siccus pulmonum, sive asthma convulsivum; mola uteri convulsiva, sive hydrops siccus et vanus uteri non bene adhuc a medicis cognitus, nec examinatus; icteritiae convulsivae ad invicem convertuntur. Singulorum idem status, eaedem pene

singulis indicationes, remedia, et id genus alia: spasmodice irtitatae fibrae gravia haec mala pariunt, ut saepe vidit *Baglivi*, in principio fluidorum irritans morbum producit: in praegressu et statu in solidis irritatis intentis, crispatis unice consistit, liquidorum cursum mille modis turbantibus.

§. 448.

Observatum refert *Baglivi* aneurismatis latera procedentibus temporibus ossea et fere cartilaginea evasisse, et aegrum convaluisse; ergo natura aliquo saltem modo aneurismata sanat.

§. 449.

Quando incidimus in morbos vel omnino incurabiles, vel cognitu curatuque difficiles, nihil magis curandum, quam ut a nimia remediorum, vel inutilium, vel minus proficuorum copia abstineamus.

§. 450.

In morbis obscuris medicus indicationem curativam ex levi quolibet signo, aut judicio a morbo prodeunte arripiet. Curandi veram rationem colligere debet ex occasionibus, quae aegrotum impulerunt in morbum.

§. 451.

Multi mentis abstractionem molestissime ferunt, caput caloribus repletur, labefactatae digestionis damna sentiunt, deinde et alias morbos, qui a chylo male digesto, praveque sanguefacto proveniunt. Qui hoc cognoverit, cognoverit veram radicem malorum mesenterii, hypochondriorum, dentium, foetoris oris, saporum linguae depravatorum etc.

§. 452.

Apparatus in primis viis laesarumque digestionum indicia lingua monstrat cum sapore depravato, ut plurimum amaro, vel ingrato, inappetentia, affectiones circa hypochondria, potissimum aliquot horis post pastum, digestione pene peracta.

§. 453.

Animadvertes in praxi, aliquos aegros fluxionibus et diurnis morbis obnoxios tempore quadragesimali convalescere; paschate iterum languescere ob usum carnium. Observabis etiam quosdam morbos ab obsoleto usu caulinum, leguminum, olerum, piscium, aliorumque ciborum hujusmodi evanescere, cibis vero boni succi exacerbari et crescere.

§. 454.

In gonorrhaeis, singulisque uteri atque vesicae catarrhis sive fluoribus, ipsis quoque calculosis et urinæ affectionibus, ad alvum semper ducendum.

§. 455.

Nihil magis confert asthmaticis, quam debita equitatio, et mora in aëre rustico. Aër montanus, campestris et marinus, juvant; varius tamen debet esse pro varietate asthmatis et temperamenti aegri. Nonnullis montanus, aliis campestris conducit etc.

§. 456.

Febribus mesentericis pueri, item opipare viventes obnoxii sunt, curantur fomentis, balneationibus, repetitis purgationibus, et demum educta omni cacochilia, sero lactis cichoreato; usu vero corticis peruviani desinunt in hepticam. Juvat potius herbis stomachicis, leniter amaris,

et aperientibus curationem inchoare, quae caco-
chyliam solvere, movere ac digerere valent; sic-
que praeparatam singulis diebus apozemate leni-
ter purgante clysteribus repetitis, fomentationi-
bus ventris ad exitum quam celeriter sollicitare.
At si aut testacea aut chinchinam dederis, tria
exspectato, aut inflammationem, aut lentam ac
diuturnam febrim, aut mortem. Chinchina adhi-
beri potest in fine morbi, corpore jam purgato;
item scopo roborante. Praeterea in aegris humi-
di, crassique corporis habitus: ita *Baglivi* prae-
scribere solebat.

R. Salis ammoniaci scrup. j.
Pulo chinchiae 3j.

§. 457.

M. F. pilulae capienda initio paroxysmi,
quoties urget necessitas.

§. 458.

Hoc salis ammoniaci cum cortice peruviano
connubium infallibile febrifugum a *Baglivo* audit,
ab ipso excogitatum et expertum. At si ipsum
fallat hoc remedium certe non fallat aliud ex flo-
ribus chamomillae peculiariter paratum; vocat id
arcانum maximum ad febres intermittentes, quod
nunquam fallit, estque princeps omnium febrifu-
gorum. Eodem quartanas profligavit. Id suo tem-
pore se manifestaturum promisit.

§. 459.

Negotiosis hominibus et studio deditis, sin-
gulis diebus debita hilaritas, animorumque laxi-
tas est concedenda.

§. 460.

De usu et abusu *diluentium et oleosorum* parca quaedam, sed bene notanda *Baglivi* scripsit, aitque oleosis et aqueis solida laxari, et flaccesere, fluidorumque cursum tardiorem reddi; hinc esse apoplexias, hinc obitus repentinus magis hodie, quam olim Romae frequentes. Vires ventriculi his prosternuntur. Stomacho prius prospice etc.

§. 461.

In cadavere viri anni 30. aetatis *Baglivi* sequentia observavit: ren dexter solummodo, in dextera lumborum regione positus inventus est; sinister deficiebat; ejusdemque lateris ureter, vasa emulgentia, spermatica, et vesiculae seminales pariter deficiebant; ren erat solido major, ut sinistri partes et officium suppleret, prout in alio cadavere semel viderat, in quo unicus ren aderat in medio lumborum positus, sed ingens et amplus, ut duos pene magnitudine sua aequaret.

§. 462.

Ea pars, cui arteria aneurismate laborans respondet ac prospicit, frequenter formicatione, torpore, impotentia ad motum, ac demum paralysi laborat, non alia de causa, nisi ob impedimentum liberum sanguinis circuitum per eam ob suppositum arteriae aneurisma. Adsunt etiam cordis palpitatio, vertigines, frequentes syncopes, spirandi difficultates, inaequalitas pulsus etc. hemiplegia, tumor pedum oedematosus, respiratio impedita, tussis etc.

§. 463.

*Baglivi*us in homine octuagenario ex apoplexia demortuo observavit vasa cerebri dura, tumida et varicosa, et dum secaretur cerebrum, manifesta durities cultro percipiebatur.

§. 464.

Pythagoreorum balneum ex ligno cedrino pro retardanda senectute, leniendisque artuum morbis adhibitum, et odorosa cedrina pice temperatum, incredibile quantum arriserit *Baglivio*.

§. 465.

Hippocrates magnam solidorum rationem habuit, de nullo remediorum genere meminit frequentius, quam de balneationibus, lotionibus, embrochis, frictionibus, unctionibus, succussionibus, sacculis exsiccantibus, vel humectantibus, et cuiuslibet modi exercitationibus, quae immediate agant in solida et ipsorum, uti et fluidorum per ea circulantium vitium corrigunt. — — Sed facto prius solidorum et fluidorum examine, ab utro ipsorum morbus pendeat investigandum.

§. 466.

Vitium solidorum deprehenditur praecipue in diutinis intermittentibus, ubi crudus primarum viarum apparatus adest, laxusque intestinorum tonus; juvant amara: lixivo-alcalina, chalybeata etc.

§. 467.

Aliud vitium solidorum est eorum siccitas, irritatio, crispatio et convulsio, unde fluidorum cursus, ob fibrarum videlicet nimiam resiccationem, impeditur. In quo casu non acria et volatilia remedia juvant, sed anodyna, emollientia, humectantia, balneationes nempe, lotiones pendum, calida fomenta emollientia utero, emulsio-

nes seminum, decocta radicis altheae et seminis lini copiose per os sumptae, oleum amygdalarum dulcium, gelatina cornu cervi etc. Tali ratione curabitur suppressio menstruorum in foemina macilenta, sicca, facie rubicunda, colore fusco, crasi sanguinis sulphurea, et calido ut ajunt temperamento praedita. Nocent enim ibi amara, acria, aperientia. Si ante usum remediorum optimorum sanguis mittatur, remedia magis celeriusque conferent, ut experientia saepe docuit.

§. 468.

Ait divinus senex Epid. Sect. 2. nihil temere affirmandum; nihil contemnendum; contraria, paulatim facta accessione adhibenda sunt, et inter quiescendum.

§. 469.

Putat *Baglivi*, salem acidum et acidam primarum viarum cacochyliam in chronicis regnare, hosque morbos ab hac cacochylia produci; salem vero urinosum in acutis et inflammatoriis affectionibus.

§. 470.

Semper in curatione morborum observandum est, an mutatum sit solida inter et fluida aequilibrium; et si mutatum, an solidi magis quam fluidi, vel potius utriusque vitio, ac defectu.

§. 471.

Virum ventriculi languore, febricula et ictero flavo laborantem *Baglivi* curavit infusione rhabarbari et aliquando decocto radicum helen. marubii albi, aliquando vero decoctum fragariae, chelidonii major. et cardui bened. quibus utpote appropriatis remediis, alvo et urina libere solutis, convalescit.

Magni refert scire, quis fibrarum status sit, in singulis morbis, *laxusne* sit, an *intentus*: an fluidum *sui* et *solidi* culpa haereat alicubi; et si solidi, an *laxati*, vel vero *crispati*, *contracti*-que.

Foemina 40. annorum aetate corripitur dolore renis sinistri cum vomitu et urinae suppressione, omnia signa calculi renum ab Hippocrate descripta aderant. Remedia varia nil juvabant. Dolor renum crescit. Circa hypochondria sentiebat fortissimam et summe dolorosam constrictio nem, perinde ac si funibus esset constricta. Respirabat veluti singultiendo. Convulsiones internae frequentes. Tinnitus aurium in principio. Inappetentia maxima. Sapor oris pessimus. Nulla vel levis febricula. Circa septimum omnia in deterius. Venter tumere coepit. Ab umbilico ad costas circa stomachum pessime habebat, ac si canes ibi roderent. Nono die pessima omnia. Tumor pedum, respiratio singultuosa. Nil juvabant remedia, sapor linguae omnis malus. Inquieta, anxia. Sedere magis quam decumbere volebat. A motu pejus habuit. Irritis balneis aliisque remediis, convulsa vehementissime paulo ante mortem, die undecimo periit, singultiendo. Secto cadavere calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus et partim in pelvi, partim in principio ureteris existens, in *dextro rene* inventus est, cum tamen dolor sinistrum duntaxat renem molestaret. Alibi nil morbidi inventum est.

§. 474.

Saepe expertus est *Baglivi*, eos, qui proximi sunt, ut in febrem vel gravem viscerum, praecipue naturalium affectuum incidunt, plures ante dies nulla in parte evidentius, quam in lingua futurae affectionis signa percipere; in qua, loco naturalis saporis, amarum, viscidum, acidum, aut salsum, praesertim circa horas matutinas cum magna virium lassitudine, et inappetentia observant, — — certo indicio, hujusmodi affectuum caussam vel a vitiata pendere saliva, vel eam esse laesae chilificationis et inde nati morbi primum ac praecipuum signum. Neque solum saporem, sed et colorem linguae mutatum morborum initio cernimus, nam ex naturali rubro mutatur in fuscum, viscido — nigrum, flavidum cum siccitate, et asperitate.

§. 475.

Item ex halitu oris spirantis odorem vitrioli, aluminis, cibi corrupti, vel aliorum odorum nares ferientium medicus, in cognitionem venit peccantis limphae, crudi apparatus mesenterici, stomachici, scorbutici.

§. 476.

Placet *Baglivio opinio* existimantium morbos epidemicos et contagiosos mediante saliva ab infecto aëre conspurcata communicari, cui pariter experientia suffragatur: contagio affecti concurruntur incommoda circa ventriculum et hypochondria, scilicet nauseam vomiturationem, pravum linguae saporem, anxietates, vomitus, cardialgias, calores viscerum.

§. 477.

Baglivius ex linguae, salivae, et totius oris habitu febrem lymphaticam, vel mesentericam cognovit.

§. 478.

Baglivius in Dissertatione de saliva natura, usu et morbis accurate morbos ex peccante lympha ortos describit.

§. 479.

In defectu bilis, vel ejus inertia optime profuit saepius masticatio rhabarbari statim ante prandium.

§. 480.

Ingens morborum series pendet a depravata chyli in duodeno purificatione; chronici morbi enim fere omnes ab hoc fonte originem trahunt, et a morboso primarum viarum acido; item innumeri viscerum naturalium *acuti morbi* cum lumborum et hypochondriacorum pravis affectionibus; ut et omnes fere cutis, et quam plures aliarum partium affectiones, quas obstructiones vocant medici.

§. 481.

Experientia didicit *Baglivius*, pueros lenta febricula cum macie, siti, inappetentia, pallore vultus, tensione caloreque hypochondriorum et alvo nunc lubrica, nunc adstricta laborantes, usu remediorum, quae stomachica dicuntur, aromatica et deobstruentia, pejus habuisse praefatisque symptomatibus accessisse sudores nocturnos, maciem majorem, et magis acrem febris calorem; ac fere proximos fuisse, ut marasmo corripiantur, sed re perpensa non erat tam ventriculi debilitas, quam potius amurcosa bilis, acris, viscida, circa jecur, vicinasque partes collecta etc. Danda potius sunt medicamenta bilem diluendo temperantia et per alvum subducentia. Juvat infusum foliorum sennae, manna, serum lactis tamariodipatum, et rheum. Subinde emollientia in-

terna et externa adhiberi debent, ut crispatae ab acri materia fibrae relaxentur. *Nota.* Saepe enim perperam intus dantur medicamenta, nisi, habita solidorum ratione, per externa obviam eamus morbo.

§. 482.

Alia methodo uti debemus in curatione icteri a bile viscida, amurcosa et inerti circa jecur impacta; alia vero ab eadem, dum copia peccat et acrimoniam. In primo casu prosunt ea, quae concretionem bilis solvunt, et amissam fluiditatem restituunt. Purgantia leniora ex cremore tartari etc. aquae purgantes, diureticae diluta, eductaque bile; prosunt deinde roborantia.

§. 483.

At in ictero a copia bilis, tenuitate, et acrimonia, utendum diureticis, diluentibus, nitratis, quae illam contemperare valent.

§. 484.

Si bili addatur mucago acida viscida, ea brevi in calculos felleos concrescit, ea ratione, qua quis ex intemperantia vini, lactisque diu simulque ingurgitatis brevi tophos, calculosque patietur. Ex quibus ratio reddi potest, cur existentibus calculis in vesica fellea, germinent quoque in urinaria et contra. Calculosis et ictericis minerales acidulae optime conveniunt.

§. 485.

Acida vel potius austera cum bile mixta substantiam viridem faciunt, cum sedimento amurcoso, viscidoque, cinereo alboque (fors alvi cretaceae explicatio, et curatio hinc haberet, potest Stoll) uti testantur experimenta cum alumine, spiritu nitri, salis, et vitrioli facta.

§. 489.

Per experimenta *Baglivii* cum bile instituta constat, bilis virtutem nil magis acuere, quam salia lixivialia plantarum, et amaras plantas. Item bilis maximam mutationem fieri ab acidis. Adeoque ubi excrementa videmus nimium in colore mutata, et ad viridem, aeruginosumque accedere, id ab acido maligno, vitriolico, corrodente factum esse credamus.

§. 487.

Nimia animi quies magis prohibet transpirationem, quam nimia corporis. *Sanctorius* Libr. 5. Aphor. 15.

§. 488.

Qui quotidie sordidos, viscidosque dentes habent, licet eos quotidie abstergant, ii ut plurimum sunt stomacho debiles, male digerunt, ore foetent; post prandium capite dolent, moesti sunt, atque debiles: et si studiis atque negotiis eo tempore dent operam, irascuntur, impatientes fiunt, capiplenio cum dolore corripiuntur; ad venerem minus proclives sunt: generaliter enim debiles ventri non sunt dediti, imo potius frigidi et impotentes. Debiles quoque stomacho natura sunt somnolenti; mane vix evigilant, imo nunquam somno satiarentur matutino, potissimum quando vesperi replentur victu copioso. Sunt pariter debiles, languide corpore, facie aliquantum pallidi; et quod primum est, maxime somnolenti: et si non dormiant, quantum stomachi debilitas postulat, pessime habent, morbisque quam plurimis fiunt obnoxii. Sinendi itaque sunt, ut dormiant, praecipue si pueri sint aut juvenes. Potionibus The, Caffee, Chocoladae, simulque stomachum recreantibus juvantur et sanantur.

§. 489.

Usu calidorum, acrum, aromaticorum, callipedum summopere dolent et exacerbantur; et quando hi sine causa dolent, significant latentem apparatus regnare in liquidis acrum, acutarum, purgantium, salinarumque particularum.

§. 490.

Quod de callorum dolore *Baglivi* monuit, dicas pariter de dolore dentium repente orto sine causa; de catharro ac sternutatione ob exiguum susceptum frigus, vel auram nocturnam.

§. 491.

Qui nimium replentur cibis, si postea bene dormiant, beneque per somnum transpirent, non ita facile ob nimiam repletionem aegrotabunt, sicuti aegrotarent si non dormierint, et non transpiraverint.

§. 492.

Dogma generale est: qui male digerunt, male transpirant.

§. 493.

Duo medico sunt praecipue necessaria cognitu, primo accurata methodus curandi febres, deinde doctrina solida de curandis ventriculi et proximi mesenterii morbis.

§. 494.

Aequo noxius est nimius cibus, ac extrema diaeta, sed magis haec, quia partes defraudat debita restauratione, in qua consistit vita.

§. 495.

In infarctu mesenterii, obstructisque visceribus diuretica urinam magis adhuc suppressunt. Non diuretica, sed purgantia solutiva per intervalla data urinam movent in hisce casibus. In morbis sedem habentibus in massa sanguinis, diuretica prodesse possunt. Quod de urina dictum

est, de aliis quoque evacuationibus, e. g. de sudore, dicta sint.

§. 496.

Hyeme, ad praeservandum, purgationes mediocres per intervalla juvabunt, aestatisque transpirationem compensabunt. Hac etiam ex causa scabies morbique cutis quamplurimi circa solstium hyemis incipiunt ac vigent.

§. 497.

Fere semper in chronicis organi laesio adest, et si non est, diuturnitate mali tandem succedit.

§. 498.

In mulierculis menstruorum suppressione laborantibus, quae ventre intumescere incipiunt, ac ad molam ventosam uteri, sive hydropem siccum ejusdem, sive vulgo falsam graviditatem pervenere, statim, instituta male sana et a *Baglio* minus probata sanguinis missione, iisdem medici praescribunt amara, calida, aperientia, myrrhata, castoreata, et alia id generis moventia. Inepta haec praescribi universim ait *Baglivius*, nullo scilicet facto examine, an iracunda sit mulier, an placidis praedita moribus; an arida, siccave, an vero mollis et succi plena; an morbis animi labore nec ne: quinam sit elater in solidis, quae acrimonia in liquidis, quod aequilibrium in utrisque. Curantur more, quo hydropses siccos ventris curare solemus, per emollientia, crispaturam mulcentia, indignationem liquidorum lenientia, aliaque nobis nota et usu probata.

§. 499.

Libera transpiratio debilem facit constitutionem corporis, sed salubritate compensatur.

Melancholicos doloribus vagis dire excruciantes vedit *Baglivius* juvari sero lactis simplici, vel viperinato, succis depuratis sonchi, boraginis, cichorei, longa potionem aquae nucerianae et similibus.

§. 501.

Asthma siccum, hydrops siccus, mola uteri convulsiva, hydrops uteri siccus sunt morbi analogi.

§. 502.

Folio 370 ait *Baglivius*, ardens mutatur in lypiriam et epialam, ergo datur una species febris *ardentis*, quae ad febres *biliosas* pertinet; alia autem species febris *ardentis* erit febris inflammatoria. *Stoll*.

§. 503.

Folio 424 et 425 videtur *Baglivius* describere febrim *nervosam*, aitque hanc neglectam abire in mesentericam. Causam asserit lympham viscidam, eamque vocat *lymphaticam lentam*, quae adeo cum *nervosa Huxhami* eadem esse videtur.

§. 504.

Mictus sanguinis nigri, vitriolici et ad instar atramenti valde obscuri et nigri, criticus solet esse, et aliorum morborum liberator, nempe capitis et pectoris, uti in nonnullis senibus observavit *Baglivius*. Ita fluxus sanguinis atri, nigri, vitriolacei, foetidi, pestiferi, per alvum effluens, criticus esse solet et complurium morborum ventris, dolorum diuturnorum circa lumbos et similiū liberator, dummodo tamen non sint dura, obstructa et intenta hypochondria, praecipue dextrum; in quo casu letalis est hic sanguinis fluxus; itaque talis fluxus non est sistendus

in

in mollibus hypochondriis, sed sinendum ut fluat, donec veluti per crisin viscera naturalia liberentur; — — sanantur usu seri lactis cum hedera terrestri recenti et radice scabiosa recenti cocti. — — Fluxu talis sanguinis quidam liberabatur a crudelissimis lumbi dextri doloribus. Ex hujusmodi doloribus lumbi dextri pertinacissimis et diris, durantibus per totum triennium, obiit de repente vir melancholicus. In cadavere observatae sunt plures librae sanguinis concreti, coagulati, foetidi circa omnes musculos lumbi dextri (Hic mictus sanguinis a ruptis vasis varicosis haemorrhoidibus ad vesicam tendentibus, pertinet ad primam speciem morbi nigri *Hippocratis* de quo vide *Tissotum*. Varices introrsum ruptas et mictum etiam sanguinem *Tissotus* non habet. *Stoll*).

§. 505.

In rheumatismo inflammatorio, factis aliquot venae sectionibus, datisque emollientibus, in morbi declinatione, viribusque prostratis dedit *Baglivi* infusum flavedinis corticum aurantium, cum aqua fervente factum copiose potandum. Hanc aquam citratam frequenter praescripsit *Baglivi* suis Romanis, loco Caffée, aut Chocholadae; Caffée enim, si nimium potetur, officit nervis; Chocalada nimia sanguini et capiti.

§. 506.

Autumno anni 1703. coeperunt variolae et morbilli, regnarantque copiose: erant autem non valde graves, nec mali moris: confluabant tamen; et licet plurimis superveniret diarrhaea, bona erat, nec periculosa, quod etiam alias observavi (*Baglivi*) in variolis; unde in appa-

ratu pravorum humorum cum variolis, si diarrhoea venit, non semper noxia est, ac molesta; sed quando variolis supervenit spirandi difficultas, semper mala est. Qua de causa nihil magis observo quam respirationem in hisce morbis; bona enim respiratio semper bonum indicat etc. —

— Ut ergo materies denuo ac citissime ad superficiem corporis revocetur oscillatione morbo contraria, totum fere corpus jussit *Baglivi*us sacrificare, et appositis cucurbitulis sanguinem ad duos fere dies educere; quo educto involutus fuit aeger linteis calidis, dispositusque ad dormiendum, mane tota cutis oblinita est oleo amygdalarum dulcium mixto cum spiritu salis amonia-ci; facta eruptio denuo est, et salus secuta. —

— Multi acu aurea variolas pungunt, ut pus educatur, ne longiori mora cutim rodat. — —

Quod de variolis ad interiora recurrentibus, moxque per artem ad exteriora revocatis notavimus, intelligi quoque poterit de petechiis aliisque papulis cutaneis in malignis febribus, eadem nempe methodo scarificationum et unctionum curari.

§. 507.

In curatione febrium mesentericarum feliciter adhibuit *Baglivi*us fomentationes ventris, nec non juscula digerentia, cichoreum, sem. citri, radic. graminis aliaque; in tybacea simul cocta purgantia per intervalla, materia jam digesta et cocta propinata; victum tenuem.

§. 508.

Aeger, referente *Baglivo*, crudelibus doloribus in sinistro rene vi calculi divexus, pluribus frustra adhibitis remediis, levabatur tandem facto clysmate ex juscule carnis, et oleo amygd-

dalarum dulcium. Quod vero admiratione et animadversione dignum est, clysmo per sex horas in ventre mansit, tandem totus per urinam cessit, nihilque per alvum, et in superficie urinae oleum clysteris innatabat.

§. 509.

Frequentissime observavi in pueris et infantibus convulsione affectis, si venter nimium intumescat, intendatur, et durior evadat, moriuntur. — — — Quare mortem praedicito pueris, si convulsionibus gravibus durus intentusque venter superveniat.

§. 510.

Hydrops siccus, magnus et crudelis hic solidorum morbus, homines prae ceteris siccios, aridos, adustos, iracundos, alvo sicca laborantes, nimium exercitatos, et intempestive, post abusum rerum calidarum, salinarum, acrum, volatilium, post ardentem aliquam febrim, nimias vigilias, nimiam veneris exercitationem, aliaque id generis, quae corpus ordinatio exsiccant, invadit. Incipit morbus a doloribus circa lumbos et umbilicum, ut olim etiam notavit dictator noster. Pedes frequenter non intumescunt, nisi paucis ante mortem diebus, vel hebdomadis, cum tympanitidi ascites supervenit; crescentibus in dies doloribus, nec remittente morbo, crescit sensim intensio elastica potentissima fibrarum abdominis, sub specie tumoris ventris flatulenti; non quod flatus sit caussa morbi, ut antiqui crediderunt, sed fibra intenta crispataque et portentose oscillans, quae, cum tangitur, resonat, ut intenta vel resiccata tympani pellis; calidis remediis, purgantibus, sudoriferis, quaeque agunt exsiccando, malum exacerbatur vehementissime, et

vires acquirit eundo: contra remediis humidis, anodynis, demulcentibus, balneatione, sero et lacte, potionē aquarum copiosa, mitescit et saepe sanatur, ac cedit. Si vero spreta remediorum vi dolores et fibrarum intensiones crescunt quotidie, supervenient vigiliae, inappetentia, febricula, alvi siccitas, sitis etc. tandem solidorum diuturna crispatura, sensim quoque crispatur, contrahitur, exsiccaturque vasorum systema potissimum per abdominis longitudinem, et hinc ruptis vel apertis lymphaticis lymphaque depluente in abdominis cavitatem, sicco hydropi ante mortem supervenit ascites letalis. — — — In hujusmodi casibus malum incipit a solido, dum vero liquida in consensum trahuntur, aequilibrium mutatur, et liquidum pariter peccat. In curatione tamen semper respiciendum ad solida erit, quae sane post mortem in mesenterio et vicinis locis arida, tabida, sicca et emuncta inveniuntur, quod in pluribus tympanitide mortuis observavit etiam *Ballonius*.

§. 511.

Huic malo analogus est, nec in laedendo multum dissimilis morbus, crudelis, humidus et lachrimabilis dolor ventris, quem dicunt *colicam convulsivam*; occidit paucarum horarum intervallo, vires incredibiles acquirit eundo, pauci ipsum effugiunt, nisi in doctissimum, et in solidorum natura peritissimum inciderint medicum. Corripit sanguineos adustosque homines, intemperate viventes, et venere immodicos, biliosos, pendetque ab enormi infarctu pravorum humorum in primis viis, copia et exaltatione incredibili bilis in jecinore: cujus exaltationis et acrimoniae bilioso-salinae causa crispari, convelli, contra-

hique fibrae je^cinoris incipiunt, quandoque fibrae intestinorum vicinarum partium, communicataque vicinis locis dolorifica crispatura, res tandem desinit in colicam convulsivam; in hac dolores crudelissime totum abdomen invadunt, ventris tumor, intensio, duritiesque tanta supervenit, ut ne quidem digito tangi possit venter, sed ad instar tympani bellici tensus intentusque doloribus veluti tot canibus miserrime laceratur; crescentibus doloribus, sitis, vigiliae, inappetentia, singultus, vomitus, et, ad mortem properante, iliaca passio cum stercoris vomitu superveniunt, qua pereunt miserrime et crudeliter. Usu remedium calidorum, quae in vulgari colica exhibentur, indignatur morbus, exacerbaturque vehementissime, et statim ruit in deterius. Si purgans dederis medicamentum in initio morbi, et in actu crudelissimorum dolorum, statim jugulabis aegrotantem. Clysteres injecti nocent maximopere. Nam praeterquam, quod ab intestinorum fistula indignata, convulsaque foris potenter repelluntur, usu ipsorum crescit dolor, venterque intumescit magis et dolorificus evadit. Flatu nec unus pedendo, sive per inferiora prodit, sed omnia veluti fatali nodo, et ad instar unci ferrei constricta sunt naturalia viscera; pauci medici curare crudelem hunc morbum sciunt: curare vero nescient, nisi cognita solidorum natura. Quamvis enim pendeat ipse frequenter a liquidis corruptis, et putri viscerum cachochylia, solidaque enormiter et crudeliter oscillent, a liquidis indignata et crispata in initio morbi crudelissimi, initio horrendorum dolorum tota indicatio curativa dirigi debet medendo solido: laxando nempe quam citissime solidum crispatum

oleis, balneis, sive semicupiis, anodynis, gelatina cornu cervi, et quod magis urget, citissime sanguinis missione ex pede, vel haemorrhoidibus, vel aliis ex locis, nihil enim citius crispatum systema solidorum atque vasorum, relaxat, mollit, lenitque, quam sanguinis missio. Sed quod maxime notandum, initio dolorum tanquam pestis fugiendum est purgans remedium, fugiendi clysteres et usus calidorum. Haec omnia expertus loquor, ait *Bagliviusr*.

§. 512.

In hoc morbo semicupia sint ex hydroleo cum herbis emollientibus cocto, relaxatis solidis primum clysmatibus, purgantibus lenissimis etc. educenda est putris cacochylia.

§. 513.

Saepe vidit *Bagliviusr* nimium dolentes pleuritides, nullisque remedii cedentem dolorem statim solutum esse, applicata dolenti lateri curcurbitula scarificata, paucoque sanguine educto, quo facto et sputum, et sudores et alia liquida in libertatem posita apparuere. Spongia aqua calida madens et imbibita in pleuriticis, si pluries in die ante os detineatur, et aura calida inspiretur, fere pro secreto solvit dolorificam inflammatae pleurae, pulmonumque crispaturam (Puto cucurbitas optime versus dorsum applicari in pleuride, ibique, ubi pulmones thoraci nectuntur *Stoll*).

§. 514.

Verum est (*Bagliviusr*), solida varie contrahi, aut relaxari, prout liquidum, quod illis fluit ad contactum, fuerit acre, salinum, urens, vel contra oleosum, aqueum, mucilaginosum etc. (Haec est vera idea morborum nervosorum, conve-

niunt omnes in nimia fibrarum irritabilitate, sed differunt ob caussas varias, quae nimurum hanc irritabilitatem in actum deducunt. Stoll).

§. 515.

Muliercula aetate annorum XXXV, calido praedita temperamento, ob nimiam humorum acrimoniam in leprae graecorum speciem incidit, cum ingenti mensium suppressione per multum temporis intervallum: usu decoctionis sudoriferae a medico praecriptae abiit in deterius: ulcera in pedibus cum febricula apparuere. Id consuluit *Baglivius*, ut unoquoque mane plures aquae libras cum syrupo violarum hauriret et duceret per urinas, interjectis per intervalla purgantibus syrups. Horum usu remediorum, victusque humectantis et dulcificantis ope duorum mensium spatio perfecte convaluit, curationeque finita apparuere menstrua magna in copia, laxatis usu aqueorum solidis, quae ante potenter crispabantur ab acrimonia salina liquidorum vitalium, et dicta de crispatura menstruorum fluxum impediebant: quae animadvertant ii, qui singulas mensium suppressiones myrrhatis, acribus, salinis, acutisque aperte contendunt — —

§. 516.

Coelius Aurelianrus Siccensis Africanus, vetustissimus methodicus *de stricto et laxo* pene divine disserit, deque morbis solidorum eorumque diagnosi et curatione optime agit. Semper medicis prae manibus sit.

§. 517.

Putridae exhalationes a maceratione lini ortae pestiferi quid habent.

§. 518.

Canis venaticus incidit in coryzam, tussim ferinam, et prae coryza in gravissimam suffocationem; bis in anno foedissima scabie corripiebatur, tandem evasit summe macilentus. Dissectus fuit. Pulmones omnino integri, nullum coryzae aut tussis vestigium aderat, nec glandulae mesenterii. Interea tamen observatae sunt copiosae veneae lacteae in mesenterio, penesque eas copiosa vasa lymphatica. Lympha his vasis contenta et a *Baglivio* degustata erat mordacissima, et linguam graviter feriebat. Etiam in aliis hujusmodi animalibus talem lympham veluti subsalsam gustavit.

§. 519.

Hinc diuretica apprime hoc in casu convenire videntur. Stoll.

§. 520.

Cor ranarum exemptum, etiam in frustula dissectum, diutissime palpitat.

§. 521.

In hemiplecticis *Baglivius* solebat venam secare in ipso brachio paralytico.

§. 522.

Lumbricus latus epidemicus est in *Hollandia*, nimium scilicet abundante lacticiniis, cuiusque incolae lacte et caseo fere solo saginantur.

§. 523. .

Lumbricus teres ab odore caepae dissectae per vomitum rejectus.

§. 524.

Symptomata lumbrici lati sunt: dolor circa jecinoris regionem jejuno tempore, ingens sputatio; et si dolor nimis excruciat, aphoniam supervenit. Tormina circa ventriculum ferociunt: pallidi sunt, et imbecilles, ad laborem pigri, quandoque fastidiunt cibos, quandoque inordinate appetunt, vermiculos figura cucurbitina excernunt.

§. 525.

In urbe *Roma* atque in *Italia* non ita frequens est latus lumbricus, ut in *Hollandia*.

§. 526.

Medicamenta ex absynthio externe et interne adhibita vermibus praeprimis inimica sunt.

§. 527.

Emetica *Romanis* minus conducunt (*sunt enim habitus stricti*).

§. 528.

Si in apparatu crudo mesenterico quis purgationes minus ferre possit, ob nimium fraetas ventriculi vires, tunc semel aut etiam bis dedit *Baglivius* clysmam emolliens, item quolibet mane jusculum cum 12. sem. citri contus. et cichori. silvestri, addito quodam eleosaccharo.

§. 529.

Inter signa, quae apparatus humorum in primis viis designant, sequentia sunt patienti observatione nostra et matura meditatione acquisita: os valde amarum est cum quadam nausea horis matutinis; lingua viscida, glutinosa, integrati saporis cum oris foetore, dentes quoque Iuridi sunt et conspurcati, stercora multum foetida, et flatus pedendo emissi ingenter foent. Caput aliquando nutat et gravitat; et si patiens supra lectum perpendiculariter erigitur, caput hinc

inde nutando gravitat; aliquando caput fere continuo dolet cum gravitate, et pulsatione circa tempora; et dolor exacerbatur post prandium, et aliquando post coenam. Aures murmurant cum sibilo. Urinae naturales, vel a statu naturali non multum recedentes. Febres post prandium et post coenam augescunt, et typum duplicitis tertianae continuae servant. Calorem in volis manuum aut pedum, et in hypochondriis patiuntur. Vultus pallet; alvus sicca est. Inappetentia moderata. Sed quod magis observatione dignum est, qui febricitant ex infarctu mesenterii, majora mala in capite experiuntur, quam in mesenterio, in quo morbi sedes est; medicique decipiuntur, cephalica, emulsiones, frigidasque potiones, aut copiosos aquarum haustus, ut hodie apud nos invaluit abusus, propinando; quibus remediis crescit magis, quam imminuitur morbus, quia crescit causa ob indigestionem dictorum inutilium remediorum.

§. 530.

Post urinam per decem dies omnino suppressam secutus diabetes est copiosissimus, quem *Gualterus Harris* infuso vinoso vini canariensis cum rheo, santali albi citrin. cordamom. minor. curavit (*Hucusque omnia ex Baglivio excerpta sunt; sequuntur excerpta ex operibus Ballonii. Stoll*).

§. 531.

Autumno anni 1570. multis sudores primis diebus parum levantes, nec morbum ullatenus solventes; qui decubuere, de solo capite conqueabantur. Ceteris partibus illaesis (autumnus calidus, humidus ac suffocans erat); — — virgines visae sunt, febre quam *tritaeophyca* vocat

Galenus, prehendi, quas inappetentia potus in summo aestu premeret. Constitutio austrina.

§. 532.

In tumore ventris puerorum, cum praesertim sitis, symptomata fere intolerabile, adest, ea maxime methodus sequenda est, ut latentis incendii ratio habeatur. Caloris enim alieni dominatu torrentur interna, putredo est *αναδοσίς* impedita, orificiorum venarum meseraicarum, lacteatumque ipsarum phlogosis: itaque debet sanguis mitti, nec debilitari debet aetatula. Deinde purgandum corpus senna et rheo frequenter, vel syrupo Regio saponis cum senna. Nec forte omitti debet agaricus, et qui parcunt his medicamentis, parcunt et vitae.

§. 533.

Pluvioso coelo efferi in pulmones catarrhi; cum vetus est in pulmone infirmitas, in vicinas partes facile vitium irrepit: nullis fere pulmonicis (quod pluribus medicis placuit) laudabilis sanguis detrahitur. Sed hoc diorismo utendum; si intemperiem calidam pulmo concepit, illud verum non est; si putredo magna sit, contra.

§. 534.

Pleuritides hoc autumno grassatae sunt; potius dolores erant laterum ob diffusionem seri a capite; non erat magna *δυσπνεια*; non tam in tumore et phlegmone consistebant, quam in affusione quadam erysipelatode: juvabat venae sectio.

§. 535.

Nobili viro dolor erat perpetuus circa mammam sinistram: nullis cessit remediis, perseverat quatuor menses. Inopinato rumpitur abscessus in pleura conceptus, livens, vermiculatum sputum

educitur; evasit: tamen febricula manet, et vestigium aliquod doloris remanet. Forte tandem tabidus interibit: metus ne pulmo huic lateri adhaereat, *ενακαδαρσις* perpetuo procuranda.

§. 536.

In malignis temporum constitutionibus, praesertim, cum febres *ασσωδεες* vexant, et aegri uruntur, saepissime detrahitur laudabilis sanguis, magno aegrorum et virium detrimento; serum nullum aut paucum, floridus sanguis; serum calor absumit, truces oculi, jactationes, cardiogmi. An venae sectio tunc utilis? nequaquam, aut parce detrahatur, imo alexipharmacum et cardiaca dentur; alvus blande et saepe eluenda, nam dejectionibus instar pultis croceae morbus solvetur. Hoc *Hippocratis* et *Galenii* consilium est. Vomitiones sistere, et sanguinem plenius detrahere nocet.

§. 537.

In plerisque tertiani sunt cardiogmi, vomitiones subvirides. Tales cardiogmi, anxietates, jactationes oriuntur a refluente bile et os ventriculi feriente. Talibus evacuationibus plurimum vires dejectae videntur, sed id fit ob morsum bilis, et purgatione restaurantur.

§. 538.

An illud verum, mollitem gingivarum causam esse, cur non ita cito nascantur dentes? puellarum exempla docent, quibus mollities dentes tardare solet.

§. 539.

Poemarcho Brisiaeо motus erat impotentia, deliria, nullus potandi appetitus in summo aestu. Magna raraque respiratio, oblivio, quae omnia laesionem cerebri significabant; tamen

de rebus divinis altius philosophabatur, de domesticis disputabat, in ceteris delirus omnino.

— — In consule regio id observavit *Ballonius*, qui cum summe deliraret, nulla ratione adducebatur, nisi cum de Deo disserentes audiret; cetera erat phreniticus, imo quod *Hippocrates* vocat *νεανικως εξεσταμενος*.

§. 540.

Quo plus nutritur corpus, eo laeditur magis; cum tamen biliosis, imo et catarrhosis (in quibus et impuritas est, et excessus humoris) inediae malum potius augent; nam inanis ventriculus et exhaustus satiat se impuris humoribus, bilis ferventior redditur: contra acer acutusque humor benignitate alimenti mitigatur. Sic in pestilenti statu accidisse narrat *Galenus*, omnes ferme peste percuslos minime cibos fastidientes evasisse, *ἀποσιτους* autem omnes fato functos fuisse.

§. 541.

Ballonius ait in annot. ad constitutionem autumnalem anni 1570. Nec fraudari laude debita debet *Fernelius*, qui meo quidem judicio de atrophia aliquid litteris commemorabile consignavit: bilis flavae et atrae circa jecur perfusio atrophiae causa saepius est; vix enim vera atrophia observatur, in qua viscera praeter intemperiem non multa quoque biliosorum humorum colluvie scatterent, ac eorum copia distenderentur; et cum haec causa naturalem spiritum et calorem proferrat, vix laudabilis sanguis gigni potest. Laudat *Ballonius* in hoc casu decoctum hordei, omnium intybaceorum, rad. archus, portulac. sem. frig. maj. in quo dissolvi potest cassia; et infusum rhei ad robur partis *ατματοποιετικης* — — Qui-dam pueris cachecticis, in quibus et sitis incre-

dibilis, et *ἀποσιτία*, usum aquarum naturalium potu sumptuarum consulunt, quae opinio suis destituta non est patrociniis. Ceterum in eo statu constituti pueri laborant saepe fluxu alvi chilosō, ut et ij, quibus venaē meseraicae sunt obstrucṭac, vel hepar imbecillum — — diligenter hi purgandi sunt.

§. 542.

In constitutione hyemali anni 1570. grassabantur dejectiones subrubrae, foetentes, hepaticae, meseraicae maxime; dysenteriae multis contigerunt; multi periere. Vires languebant ob fluores ejusmodi. Sectio venaē multis profuit. Forte conandum erat, ut quam citissime sisterentur; nam fluores erant symptomatici. Multis commode initio statim suppressimus; quibus non suppressi sunt, diu perseverarunt, imo semestres fuere. Nob̄ li Viro suppressa rhei usu alvus humorem phlegmonodem totius abdominis attulit; iterata phlebotomia tumenti alvo occursum est; sanguis erat *ιχτεριωδης*.

§. 543.

Ballonius ait, nos in malignis morbis et temporum constitutionibus vidimus excretiones fere ab initio morborum factas ad bonum apparuisse; et ut ajunt optimi medendi magistri: qualis sit excretio, et quovis tempore, juvat tamen; quod notari debet, ne temere de morbis judicium sententiamque feramus.

§. 544.

In magnis vomitionibus clysterum usus frequens, et boli ex rheo valent; nam potionē facile excluduntur.

§. 545.

In fractis jam morbo longo saepe haemorrhagiae symptomaticae apparuerunt. Putant hac una exclusione allevari aegros; maxime vero istae haemorrhagiae contingunt pulmonicis et hepaticis; quod maxime est notandum de pulmonicis: et has haemorrhagias bonum est sistere.

§. 546.

Nobilis mulier multis scatens excrementis propinata medicamenta quinques vomuit; concinnant illi syrupum solutivum, de eo, uno die cochlear unum dant, sequenti duo, deinde tria: tandem natura retinet medicamenta.

§. 547.

Notandum, plerisque hyeme praesertim rigente dolores laterum excitari a congestione ob ambientem frigidum aërem: an his sectio venae imperanda (ad orgasmum impediendum)? faciendum autem omnino, nam purgationi tunc nullus locus. In hoc a plerisque peccatur, et ideo Hippocrates purgationi praefert celebracionem phlebotomiae.

§. 548.

In constitutione verna anni 1571, cum hyems praecesisset asperima, ac exciperetur ab austriano pluvioque tempore, nec non maguae aquarum inundationes essent, ineunte vere magna morborum ilias fuit; sed maxime sub finem hymis: et rheumata innumera in pulmones, unde tusses et dolores laterum: in fauces, unde anginae et dolores; et cum tempus vernaret, et tepidiusculum foret, repentini laterum dolores orbabantur. In doloribus hujusmodi sectio venae non profuit. Credo, ait in annot. ad eandem constitutionem quod tales, pleuritides pestilentiales

erant. Multi sub eadem specie morbi interibant; nil omnino proficiebat venae sectio.

§. 549.

Galenus comment. ad part. 89. sect. 2. libr. 1. epidemicorum ait, parotides citra suppurationem curatas fuisse solis ad inferiores partes excretionibus.

§. 550.

An in colicis doloribus sectio venae? imo praesens remedium, si a bile esse videatur. Cavendum a medicamentis validis, et usu linteorum impense calidorum; tempore juvantur, et thermas-mate. Syrupus violatus confert, imo et usus lactis recens multo, aut calidi.

§. 551.

Firmus puer, robustus senex, et gravida mulier valens tuto curantur hoc praesidii genere; scilicet venae sectione; ita *Celsus*.

§. 552.

Quod si quis iliaca passione cum crebris vomitionibus torquetur, prolapsum ilei intestini vereri oportet (nam non raro iliaca passio aliunde oritur); quum autem prolapsum est intestinum, si vires admodum debiles videantur ob infarctos spiritus, oportet blandis medicamentis alvum solvere. Nobilis mulier id declaravit, quam repurgavimus, postquam repositum intestinum fuit, tametsi omnes extimae partes frigescent. — — Id quod foras eminebat in hac nobili muliere, adeo erat exiguum, ut id omnes negligerent. Restituto intestino aeger nondum omni periculo liberatus est; ideo danda opera est, ut saluti falso creditae non acquiescat: alvus non est suppressima; nam per aliquot dies multa colluvies debet per inferiorem alvum excerni.

cerni. Rheum aut pilularum forma, aut potu datum confert. Sed et aliud aliquando deterius contingit; nam circum glandulas mesenterii inflammatio contingit, et tum alvus quidem fluit, et tamen venter intumescit. Ideo danda, quae inflammationem compescunt, id quod in multis a nobis est observatum. *Celsus* C. 20. l. 7. prae ceteris in prolapsu intestini laudat inediam et phlebotomiam.

§. 553.

Tabidis dentes livescunt.

§. 554.

In multis adest multus adeps in ventre et toto corporis habitu, item *euσαρχια* bonitasque coloris, cum tamen viscera ipsa, id est, hepar et lien putria in eorum cadavere reperiuntur.

§. 555.

Statim initio mensis novembbris anni 1573. hyems incepit algidissima, quae ad mensem Martium saeviit, et post hominum memoriam nunquam observata fuit tam diurna. Aquilonia erat constitutio. Exacta hyeme mense Martio omnes pene pleuritides funestae, nullis cedebant remediis, epidemicae erant, et cacoëthes; sine ullo vehementi motu prehendebant; dolor erat fugax, et cum aegri bene habere putarentur, et immunes a dolore lateris, interibant. Erant autem sero acri, indomito, cuniculos et viam sibi parante, erysipelatodes, non phlegmonodes. Non erat magna difficultas spirandi, sed dolor tantum mediocris: et hinc decepti medici; ingen's erat sitis, leipothymiae erant, et praeter rationem vires vacillabant. Nil commemorabile expectabant. Vagabantur innumeri herpetes, aphtae pueris; pauci ab aphtis immunes fuere. Pustulae in

extrema lingua sero plenae. Mulieres istas aphatas contempserunt, tanquam leve malum et inauditum sed in cancros abierte: testamur inumeros ab istis cancris sublatos. Cum talis viget constitutio, frequentibus purgationibus, et ptyolismo morbos antevertere oportet.

§. 556.

Epidemicorum L. I. Constitutione anni 1574, mense Junio, Julio, Augusto, febres vagabuntur mali moris. Quotidianas intermittentes mentiebantur. Exacerbationes omni nocte. Interdiu bene habere videbantur. Initio quidem erat febris vacuitas; sed post unum atque alterum paroxysmum erat assidua febris. Noctes omnibus implacidissimae; interdiu mens integra, doloris quedam vacuitas, sed linguae ariditas, amaror, aversatio ciborum, sitis, jactationes; vesperi hinc semper aut caloris, aut frigoris reaccendeatur febris, molesta maxime, cum atrocissimo capitis dolore, mentis alienatione, ingenti siti, vacuite somni. Mane summa imbecillitas, et saepe sudores frigidi, $\alpha\sigma\phi\nu\xi\alpha$, aut pulsus exilis, inaequalis; calor aridus; pulsus quibusdam formicans. Judicium nono, aut 11. die, subinde cum magno vitae discrimine. Aliis febris protracta, et sine crisibus fere soluta. Parotites multis apparuerunt, aliis funestae, aliis non. Multis obortae maculae rubentes; mox livescentes cum summa membrorum contractione, eas graeci $\varepsilon\chi\alpha\nu\vartheta\nu\mu\alpha\tau\alpha$ vocant, Celsus papulas vertit, quod in epidemiis multis contigisse vidimus magno aegrorum periculo. Parotides ideo multis perniciose sunt, tum quia morbo impares sunt, tum quod omnis translatio ab infimis partibus ad superiores sit perniciosa. — — Febres ad hemitritaeas et tritophyes acce-

debant. Vidimus multos, quibus fluxerat alvus excrementis biliosis, ut ait *Hippocrates*, cum borborygmis: sed isti fluores parum proderant; tamen praestabilius erat, alvum quomodocunque fluere, quam subsistere; nam materia morbifica excernebatur: tamen si, quae excernerentur, substitissent, deterius actum esset cum aegris; adeo quae injiciebantur in corpus alimenta, corrumpabantur. In pestilentibus, et male moratis morbis, qualescunque excretiones juvant. — — Aliis fluente etiam alvo cardiogmi remanebant. Aliis *απροαιριτως* fluxit alvus cum mentis laesione atque comatosa dispositione atque evaserunt; adeo natura juvabatur hac excretione, licet symptomatica foret. — — urinae nullis erant flammeae, sed saltem boni erant coloris, eodem tempore grassabantur variolae mali moris (*Ballonius* variolas vocat *morbillos Stoll*).

§. 557.

Ante ruptionem variolarum in aliquo homine *Ballonius* vidit summam difficultatem deglutiendi. Metu synanches secta vena est, cum etiam adesset insignis febris. Datum clysmo. Die sequenti copiosae variolae, et brevi convaluit.

§. 558.

Ballonius observavit venae sectionem et dein catharsin non impedire variolarum eruptionem. (Puto ergo catharsin aut vomitorium necessarium omnino esse in epidemicis variolis mali moris; benignae autem variolae potius venae sectionem praemitti volunt. Si corpus fuerit probe purgatum aut paulo ante variolas, aut ante earundem eruptionem, etsi eae mali moris sint, saepe tamen contingit, ut absque pravo symptomate decurrant. Hinc ratio haberi potest meo judicio,

quare variolae alias ex malignarum familia, nihilominus felicissime et absque ullo malo symptomate decurrant. *Stoll*).

§. 559.

Secundum *Ballonium* apparatus crudus in ventriculo, e. g. bilis copiosa, ingesti immodi fructus horaei etc. si magnas faciat anxietates cum pulsu febrili, facit febrim ασσοδηψ, sive anxiam. Si vero ex eadem causa extima algeant, urantur interna, erit *lypyria* (*Assodes*, ergo et *lypyria* sunt una eademque febris, eodem modo curantur, scilicet *cholera artificiali*. *Solvuntur vomitionibus biliosis, aeuginosis*. Pertinent ad febres *Tissotio biliosas dictas*. *Stoll*).

§. 560.

Numquid in vulgata hydropicorum curatione plurimum ubique aberratur? nam cum hepar hydropicorum vitiatum sit, exsuccum et per quemdam marasmus arefactum, tamen saepe et confertim dantur scammoniata, antimonium, succus ebolorum, sambuci, thymaleae, chameleae, tithymalorum: numquid adaugetur hepatis intemperies, numquid malum malo cumulatur, et augetur perpetua generatio? nullo profectu omnia haec propinata vidimus. Imo ab his multos interisse testamur, quod serum utile traxissent, et majorem sitim, calorem, febrem, squallorem corporis attulissent etc. — — an non alia mendendi ratio, et num potius paracentesis conferat, quam nullo profectu, et cum auctione causae ista medicamenta praescribuntur? (*Mea methodus in tali casu esset sequens: danda sunt ea, quae solvunt, uti cichoracea, omniaque intybacea etc. cum iis, quae vires sustentant*. At vero quoniam aquarum colluvies jam adest, ea non evacuantibus, utpote quae

semper debilitant, sed paracentesi etiam saepius instituta tolli debet. Stoll).

§. 561.

Quum e pulmone sanguis reiicitur tussi, ille omni arte reprimi debet et solet: an hoc verum? si febris adest, constat, et est extra controversiam omnem, non debere sisti, nisi cum sufficienter et imminutus et alio revulsus fuerit necessaria venae sectione. Hoc Galeno videtur comment. in aphor. quod inflammationis magna sit suspicio: an tum malum est e pulmonibus sanguinem educi? Quidam nomine Reveche satis declaravit, saepe innocue e pulmone sanguinem rejici; nam vidimus eum saepe feribus detentum, cum quibus alias cruentum exspuit, alias sanguinem e pulmone spumantem expectoravit: sed hoc putamus ob mollitiem pulmonis fieri, ut id esset illi instar evacuationis solennis aut per nares, aut per haemorrhagiam. Quod cum fit, et suspicio inflammationis non est, et quae adest febris, non ob vitium in pulmone oboritur, sed propter corruptos in mesenteriis humores, tum minus formidandus est ille impetus sanguinis per os: nisi enim magna vasorum pulmonis esset mollities, impetum sanguinis non facile sustinens, ad nares sanguis viam affectaret. Vidimus, qui saepe minore quantitate sanguinem a pulmone rejectarent, quos proxime tabes sit consecuta. Quamquam magno opus est judicio, ut distinguas, an excretio illa sanguinis sit formidanda, an non, cum parvi non referat scire, quomodo se ea in re gerere oporteat (Jam Galenus et Balloinius agnoverant statum pneumaticum et phlogisticum sanguisputorum. Stoll).

Hippocrates ita scribit in aphorismis: *qui sanguinem evomunt, si sine febre, salutare; si cum febre, malum curandum refrigerantibus et adstringentibus.* Hoc consultit sumpta indicatione ab ipsa excretione. An tuto ista adstringentia praescribuntur? nequaquam; nisi magna cum cautione. Nam nisi usu rerum mellitarum aut oxycrati dilutissimi purgaveris pulmones eo sanguine, qui materiam in eis trahere posset, metus est, ne corrumpatur, et ita plethoram accersat — — — (*Male Ballonius Hippocratem intelligit de sputo sanguinis. Interim tamen Ballonius agnovit optime, adstringentia in sputo sanguinis nocere*). *Stoll.*

§. 563.

Galenus meminit parotidum, quae exitiales minime erant, quod febrim comitem non habarent, et tumoris oedematosi naturam redolerent, et propter spirituosam substantiam facile evanescerent; quae autem fiunt propter copiam succorum multorum, crassorum et crudorum, propter vehementiam acrimoniamque, et febrilis caliditatis abundantiam, sursum ad caput delatorum, quos natura in aurium glandulas deponit, propter allatas caussas periculosae existunt.

§. 564.

Galenus comment. ad part. 25. sect. 2. Lib. I. epid. ait, discrimin statui inter πυρετος τριταιοφυνεις et ημιτριταιους, quod illae febres nascantur a bilioso subtili et pituitoso. Hae κατ' εξοχην horrifcae dicuntur et fere sunt perniciose (τριταιοφυεις sive tertianarum naturam referentes ημιτριταιοι semitertianae vocari possunt. *Priores sunt febris biliosa Tissoti, posteriores sunt febris maligna Tissoti. Stoll.*

§. 565.

Hippocrates ad frigidos et increscentes morbos $\mu\iota\xi\iota\nu$ laudat.

§. 566.

Pilulae ex rheo; massa pillularum quibus et castoreo veteres et consummatas fere gonorrhœas et foedas colores et muliebrem fluorem profligaverunt.

§. 567.

Ballonius, etsi variolas et morbillos nominet, tamen rubeolas videtur vocare, quas nos hodie *morbillas* appellamus. Data rubeolarum descriptio nostris morbis per omnia exacte convenit. Vide constitut. hyemal. anni 1574.

§. 568.

In sectione cadaveris, referente *Ballonio*, inventum est intestinum jejunum coarctatum et cartilaginosum; alvo difficiili et non nisi enemate aut purgante sollicitanda per multos annos laboravit.

§. 569.

Solebat *Fernelius* post usum medicamentorum purgantium, praesertim rhabarbari, et eorum quae residuam aliquam siccitatem faciunt, dare magna satis copia syrupum violarum aqua dissolutum.

§. 570.

In quibus mesenterium obstructum est, et uligine plenum, juvat taleolas rhabarbari mactrare in lib. j aquae additis cinnamomo et passulis; de ea aqua 3vj aut viij praebentur. Ad purgationem puerorum idem fere convenit; nam in magna aquae copia maceretur aut senna aut rheum.

In iis defluxionibus, quae repente et affatim in faciem incident, praesertim si fauces appetant, vide, ut quam primum emissarium in os ipsum moliaris, alias repente suffocationis metus ingruit. Griffonis uxor satis aperte id declaravit.

§. 572.

Ubi fauces aegrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, dejectiones inspice. Si similes sanis, tutum est corpus alere; ita Hippocrates. Item alibi ait: impetigines et leprae, et vitiliges, quibus quidem pueris, aut juvenibus quidam horum fuerit, aut paulatim conspectum in multo tempore augescit, his non putare oportet tale εξανδρυα, id est, talem eruptionem esse abscessum (graecis αποστασιν) sed morbum. Quibus vero horum quid factum fuerit multum et de repente, hoc sane fuerit abscessus, ita Hippocrates. Affectiones cutis triplicis generis esse ait Ballonius; vel abscessum, vel morbum vel denique tertium quid, ubi scilicet illaesis purisque partibus internis, pars sola externa afficitur, inque se ipsa materiam morbi excoquit.

§. 573.

Pulsus intercalaris senioribus frequens est, uti et inaequalis. Haec inaequalitas et intermissione saepe est a plenitudine. Eadem inaequalitas in pueris dormientibus, et iis, quibus pulmonum leves arteriolae obstructae sunt, saepe observata est, et tamen periculum abfuit.

§. 574.

Vidit Ballonius mulierem gravidam in dentium dolore gravi cineres calidos, donec stigma notaque inureretur, temporibus adspersisse: hinc dolores cessarunt (Vesicans ad tempora commodius foret. Stoll).

§. 575.

Cum quidam ob flatus melancholicos et sanguinis calorem saepe dolores sentiret maximos in ventre, statim se adjutum phlebotomia asseveravit, secundum illum *Hippocratis ανεμην Φλεβοτομια λυει*.

§. 576.

Hippocrates ait sect. 6. libr. 6. epid. quibus sanguis multus ex naribus fluit, si decoloratio mera sit, id non prodest, rubicundis prodest.

§. 577.

Dum quis cum scabioso concubit, et cutis inficitur, malum hoc vere cutaneum est, et superficiaria curatio esse debet. Sed cum ab imo corpore erumpunt tubercula, aut aliquid consimile, mali contagionem subesse in partibus internis fit verisimile.

§. 578.

Diligenter est observandum, major enim est pars et pleuritidum et dolorum capitis, tam a congestione cujusdam excrementi in pulmonem et thoracem, tum ob recursum tenuioris humoris per orgasmum a ventre inferiore, quam a capite et partibus superioribus; quod diligenter videndum, quoniam plerique non audent purgare et solvere ventrem: at saepe haec plus confert, quam phlebotomia: imo tunc sectionis venae locus non est, nisi forte semel id fiat. Ita *Balloonius*; talem autem pleuritidem hyeme grassari, ait idem auctor.

§. 579.

Cum dolores vagabunde tenent nothas costas et continuatione membranarum attingunt aliquando mammas et partes sterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris

cacochymiam, a qua propter vapores elatos dolores surgunt, sensio adsit doloris, an causa ipsa a partibus superioribus pendeat, an vero in thorace ipso sit. — — — Quis enim nescit, si dolor iste agnoscat causam in ventre inferiore, non modo non prodesse phlebotomiam, sed etiam nocere.

§. 586.

Sanguinem cum crusta plogistica veteres dixerunt sanguinem *biliosum*, *pituitosum*, $\omega\mu\sigma\alpha$. *Stoll*.

§. 581.

Sedulo examinandae sunt causae procatarctiae in morbis. Sic etiam *Hippocrates* meminit crupulae, apricationis in sole, potus vini meracoris, laborum, lassitudinis, et in diaeta των οξεων etc.

§. 582.

Horror fere semper prodromus est pleuritidis.

§. 583.

Austri auditum hebetant, caliginosi, capitigraves etc. *Hipp.*

§. 584.

In constitutione austrina verna mense Aprili et Majo anni 1575. id contigit videre, quod ab *Hippocrate* part. 10. l. 1. ep. sect. 1. scriptum est: *tubercula multis secundum aures, febre carebant*. Nonnullis parum accendebantur, sed omnibus sunt extincta citra incommodum. Nemini suppurrarunt. Erant laxa, magna, diffusa, citra phlegmonem. Accidebant haec adolescentibus, adultis praeter certos, luctatoribus et athletis, mulieribus vero parum.

§. 585.

Victus ratio, ut homo minime pinguescat, esse debet, quam praescribit *Hippocrates*, dum suadet, ut talis *maza et lucta* uteatur, id est, ut laboraret plurimum, et cibis minime satietur.

§. 586.

Mulieres, quibus menses supprimuntur, de dolore, quem vocant, stomachi queruntur, dicuntque habere sic manifestum cujusdam ponderis ibi incumbentis sensum.

§. 587.

In constitutione aestiva anni 1575. tempus autumnale referente ob suam intemperiem, erant diuturni dolores capitis; sine febre videbantur, attamen cum oris siccitate, oculorum rubidine, pulsu in temporibus manifesto, sensu punctionis et lancingationis. Medicorum opera in horum dolorum curatione ludebatur. Deduxit eos *Ballonius* a sero bilioso, cum pituitoso; non est, ait ipse, exquisita inflammatio, alias enim esset phrenitis, et magna febris insequeretur. Ponit quaestionem *Ballonius*, an non in ejusmodi doloribus capitis prodesset embroche' ex oxychodino cum repercutientibus.

§. 588.

Hippocrates ait, autumno rigere *Splenes*, du intelligens, vel *tumorem et efflorescentiam splenis*, dicit enim σπληναδαλιειν vel dolorem hypochondrii sinistri. Tempore hoc aestivo admodum inconstante multis sacri ignes, et in faciem herpestes, in tibias, in inguina de repente humores tenues, non tam quantitate quam qualitate molesti multis eruperunt.

Hippocrates ait, *salsae gustatui carnes, superfluae materiae signum*. Id est, si salsedinis gustus sit in ore, materiae superfluae et excretionem molientis est argumentum.

§. 590.

Lingua redundantis cuiusdam in corpore humoris indicium dat. *Hippocr.* ait: *lingua lotium* indicat. Linguae observatio in febribus multum valet.

§. 591.

Lingua humore quodam praeternaturali *obducta* purgationem evacuationemque postulat. Id *Hippocrates* significavit, dum ait: *Linguae virides, biliosae* materiam redundantem significant. *Aridae a fuliginosa exustione*. *Lentor circa dentes fortes febres* significat. Ait enim *Hippocrates*: *quibus in febribus circa dentes lentores quidam sunt, iis fortes febres fiunt*.

§. 592.

Febres sunt *venosae*, aliae *gastricae*.

§. 593.

In haemicrania saepius redeunte una cum catarrho in fauces vel et pulmones, copiosa saliva in os recurrente; item in fluxione ad oculos, quae subinde aegrotum affixit loco hemicraniae, praecipue, si nimiae curae, vigiliae etc. praecesserint, suasit, syrupum de cichoreo cum rheo, abstinentiam a purgantibus, pilulas stomachicas, non tam ventriculi repurgandi, quam ejus confirmandi gratia. Conferent, ait, pilulae ex aloë initio pastus, nisi haemorrhoidum fluxui sis obnoxius.

§. 594.

Primus nostra memoria *Fernelius* observavit, ait *Ballonius*, saepenumero cruciatus observavi, qui quadam similitudine et vehementia colici nuncupantur, quibus tamen non in colo intestino sedes est, sed vel in peritonaeo, vel in membranis, quae abdomini, ventrisque partibus obtenduntur; non clysteribus, non medicamentis leniuntur; eorum materia aut flatus est, aut acer aeruginosus humor, qui cum diu restagnans in visceribus restitisset, tandem inusitatam viam in abdominalis spatum, aut in peritonaeum sibi patefacit: et haec in diuturnis febris contingunt etc. (In annotatione ad hoc consilium ait *Ballonius*: in aliorum scriptis hoc non inveni). *Fernelius* vocat dolorem colicum non legitimum: dolor non est erraticus, sed in imo ventre fixus manet, et intolerabilis est, fotibus paulum quiescit, sed multo saevior repullulat. Imo *Fernelius* ait, eum dolorem aliquando tertianarum febrium (quibus aliquando succedit) modo repetere ac exacerbari — — nihilominus, subjungit *Ballonius*, *Hippocrates* aliquid simile in coacis videtur observasse, ait enim: dolores ex lumbis diuturniores; qui febre exacerbantur τριταιοεγενεας (in modum tertianae febris, vel similiter tertianae febri) grumosum sanguinem egerere faciunt.

— — In ejusmodi aegris *Ballonius* observavit, dolorem crudelissimum esse, et tumores quosdam nonnullis apparere. — — *Joannes Fernelius* in talibus balnea usurpabat, viribus nondum lapsis: ac in balneo ipso medicamentum purgans propinabat: quod dum agere incipiebat, educi jubebat aegrum e balneo. — — De ejusmodi doloribus videtur agere aphorismus coacar animad-

versionum quibus doloribus hypochondriorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum; hi sanguine per inferiora excreto moriuntur, quia metus est inflammationis.

§. 595.

Videtur esse colica spasmodica spasio excitato vel ab haemorrhoidis internis vel a plethora abdominalium viscerum absque varicibus, vel ab acribus contentis, praesupposita nimia fibrarum in abdomen irritabilitate. Huc pertinet colica P. Ign. Capucini, vide ejus historiam morbi. Stoll).

§. 596.

Puella alvi profluvio, febri, respiratione anhelosa, vomitione frequenti laborabat, priori hyeme magna in pulmones destillatione vexabatur. Dabatur infusum rhei, inde vermis mortuus excretus. Illitus totus thorax oleo violaceo et butyro recenti, sedatus vomitus. Datum rheum: omnia meliora. (Infarctus pulmonum pituitosus a primis viis onere pituitoso gravatis traductus. Stoll).

§. 597.

Puellus coelo aestuante circa mensem Martium coepit febricitare: diaria erat febris in speciem hecticae degenerans. Alvus liquida, cineritia, putris, paucis post diebus alvus restitit. Secta vena, sed frustra. Urinae croceae, turbatae. Facies collapsa, cito macies totius corporis. Genarum per intervalla rubor; a pastu frigus extre- morum. Cutis arida, scabra. Marcor. Facies Hippocratica. — — Fomes in pulmonibus est et in imo ventre — pulmo et mesenterium fo- cus videtur — — itaque blandissime per in- intervalla corpus repurgandum; litus corporis to- tius, praecipue vero ad thoracem. Syrupus re- sumtivus: aurae refrigeratio, frigidæ potus, aqua

rosarum et violarum, massipanes, panis infricatus in jure gallinarum et caponum, lac asinimum postmodum jure et loco praescribatur. (*In priori casu pulmo potissimum, in hoc autem praeter pulmonem totum systema vasorum pituita gravatum, infarctumque fuit; malum vero ex mesenterio traductum videtur. Stoll.*) .

§. 598.

Consilio octavo narrat Ballonius fluxionem biliosam in scapula et brachio cum capitibus dolore, per aliquot annos affligentem. Suasit Ballonius frequentes purgationes ex cassia cum rheo per aestatem; vere et autumno sectionem basilicae, hyeme vero luna silente purgantes pilulas ex agarico. In adnotatione ad hoc consilium ait: *Aetium cap. 28. serm. 4. Tetrabil. β de ejusmodi articularibus morbis biliosis docte disserere. (De fluxionibus biliosis post morbos biliosos male curatos orti, vide, quae ad annum 1775 adnotavi in morbis autumnalibus. Stoll.*

§. 599.

Hippocrates l. 2. Prorrh. scribit; haemoptysin non afferre periculum, in iis, in quibus doores melancholici excitantur in dorso et sterno. Quod etiam Ballonius annotavit, et ego quoque aliquoties vidi.

§. 600.

Ballonius ait, a latente obstructione mesenterii nasci febres non hecicas quidem per empyreuma et phlogosin, sed putres hecicas. (febris per empyreuma videtur esse illa continua phlogistica diathesis, quae e. g. datur in sanguisputis. Putris hecica est ille morbus, de quo consilio septimo exemplum referebatur. Stoll.)

Hippocrates in coacis animadvertisit, quemdam dolorem lateris cum hypocondrii meteorismo et difficultate spirandi. Sed vocat eum dolorem, lateris dolorem sine signis, scilicet non pleuriticum,

§. 602.

Quidam in febrim incidit autumno, quo febres vagabunt incertae, sine typo, modo cum rigore, modo sine eo. Erat febris erratica, pariter in accessionibus erat pulsus parvus, febrium analogus, coma, aphoniam, nulla re excitatur homo, macer alias. Secta vena, sed frustra, erat et σεγλος et metus suffocationis. Repurgatus saepe est — neque huic solum viro ea symptoma inguebant, sed fere omnibus, qui toto illo tempore in febres inciderunt. In quibusdam erat tempore accessionis periculum suffocationis; aliis accessionis initio praefrigidi sudores; aliis, quibus ex longis intervallis tantum tussicula erat infesta, ingruente accessione, tussis vehemens; mulieri sexagenariae toto tempore accessionis leipothymiae, comatosum quid, dolores permolesti, quaerimoniae, — plerique interierunt — febris augebatur, per modum continuae perseverans, interiit etiam iste decimo septimo die, *Consil. xviii.*

§. 603.

Ballonius ait: quicumque stirpe tabida sunt, eos fere omnes tabes attingit — — item, eodem anno liberi pereunt tabidi, quo alteruter eorum parens interiit.

§. 604.

Flores et germina salicis catarrhosis praescribuntur, desiccant impense, et sine morsu. Remedium hoc laudat *Dioscorides* libro I, suorum simplicium .

§. 605.

§. 605.

Ballonius ait, febrim haemitritaeam, continuam esse, et affecti ventriculi augmentata prodere. *Videtur pertinere ad biliosas. Stoll.*

§. 606.

Hippocrates l. 3. de morbis ait; Omnis hydrops difficilis curatu, praesertim si corpore attenuato veniat, et ubi alvus fluit, moritur cito. Item l. περὶ παθῶν ait, morbum omnem alteri succedentem funestum esse fere.

§. 607.

Puer annorum quatuor febre continua corrigitur. Vesperi exacerbationes; catarrhus, tussis sicca, inanis. Spiritus difficilis. Fraquentes vomitiones. Alvus albicans, deinde substitut. Urinae tenues, crudae, decolores. Medicamentulq alvus sollicitata reddidit multa biliosa. Tussis perseverat. Dolores ad hypochondrium sinistrum, sed vagi, nec eodem modo perserverantes, deinde sinistram lateris partem occupabant. Alvus soluta est viridia excreta, chylosa: sitis non explenda. Aliquando animus paulum deficiebat. Fugax genarum rubor, isque magnus.

§. 608.

Quaeritur, an sit inflammatio pulmonis sive ea sit phlegmonodes, sive erysipelalados? Aut in peripneumonia sint vomitiones, defectus animi, tussis sicca, alvi fluores, ac si per se primoque alvus inferior laboraret. fugax genarum rubor, tussis inextinguibilis, febris non ita magna, sed per intervalla ferociens. Vedit *Ballonius* in alio quopiam, cui pulmon inflammatus erat, defectiones animi et frequentes vomitiones. Vomitiones frequentes, dejectiones frequentes; ingens admodum sitis et opinione major in inflammatione

pulmonis solet apparere. Dolor sterni vomitio-
nes, tussis sicca, deliquium animi sunt signa
pulmonis erysipelate tentati. *Ballonius* ait, in
erysipelatosa affectione e. g. pulmonis febrim non
eodem perpetuo tenore affligere, ac saevire. De-
buerat mitti sanguis. In cadavere pulmo partim
inflammatus, partim lividus. Destillatio, tussis
sicca, febris non ita ad manum mordax, rubor
genarum, dolor sterni (quod notandum), virium
dejectio, sitis ingens, perceptio summa caloris
in pectore, certam dant inflammati pulmonis
diagnosin? Incautis medicis, cum cibum appete-
ret et biberet avidissime, mortuus est die 20.
morbi. (Saepius vidi in veris peripneumoniis
pulmonum atroces convulsiones, vomitus, strepitum,
sibilumque in pectore). In somno convulsivum
quid, oculos inter dormiendum semiapertos; in
somno loquentes. Secta vena habuit sanguinem
phlogisticum. Signum peripneumoniae *Hippocra-*
tes in coacis dixit ευχροαν, id est genarum ru-
borem.

§. 609.

Ballonius observavit in peripneumonia *deli-*
quium animi, *praecipitem virium lapsum*, et *sudo-*
res subfrigidos. *Hippocrates* disserens de quibus-
dam, quibus totus pulmo cum corde inflamma-
tur, et aliis, quibus cor non inflammatur, asse-
rit, illos, *resolvi*, quibus cum corde pulmo inflam-
matur.

§. 610.

Ballonius de homine scribit, cui testiculus
neuter in scroto erat: sed uterque intus conclu-
sus erat; unus quidem apparebat tactui soli et
circa pectinem locatus erat: alter delitescebat
plane.

§. 611.

Miratus sum , ait *Baglivius*, aegras saepe conqueri de dolore ad orificium stomachi , cuius doloris circumscriptio brevis admodum est , nec explet latitudinem duorum digitorum . Purgationibus non juvantur multum : vomituriunt : pulsum habent languidum : corpus pigrum ac iners . Nocentes insomnes ducunt ; ventre plurimum sunt adstricto , imo prae dolore superior pars hiat , inferior adstringitur . — — Ita piscator quidam post aerumnas aliquot et labores incidit in febrim typi expertem : saepe leipothimia : 4to penne die laboravit . Summa virium ruina , partium extimarum refrigeratio : hinc alvus subducta est , excrementis modo liquidis , modo chylosis , modo mucosis , incredibile dictu . Tribus aut quatuor diebus tres et quinque pelves satis capaces implevit , non allevabatur ; perpetuo alvus , sive ventriculus laborabat . — — Modo roborto ventriculo , modo usu rhabarbari allevabatur . Pallor , sitis , partium imbecilias , dejectus appetitus ; dolor ad regionem stomachi , quem antea diximus , etsi munia sua consueta obiret . — — — Tandem vomitu provocata excreta sunt viridia , biliosa , glutinosa admodum ; sic allevatus est . — — Ubi tanta copia materiae latebat ? an in ventriculo ? Certe non , sed in partibus vicinis (dolor ventriculi a saburra biliosa , purgantibus parum proficientibus , juvit vomitus . Ejusdem saburrae signa Consil . XXXIV .)

§. 612.

In Roberto Sangermano dolor incredibilis , quasi colicus , post aerumnas et tristitiam . Dolores ex intervallis repetentes . Vomuit perpetuo .

Calida medicamenta non profuere. Educta est emetico lenis materia biliosa vitellina, putris. Allevatus est, et sanitati restitutus. — — *Fernelius* tale quid fieri observavit sub finem febrium et morborum typicorum.

§. 613.

Vidua ob mariti mortem in tristitiam incidit, inde in morbum mirabilem: febris enim erat expersa: ex intervallis sentiebat quamdam auram venenatam ab infimis partibus tibiarum, deinde stuporem, deinde dolores ad ventrem superiorem a ventriculi regione fere ad umbilicum, paulum ad lie nem declinando, tunc sine voce et respiratione decumbebat, cum sudoribus, defectione pulsus, palpitatione, duodecim horas paroxysmus durabat. Morbus hic annum et plus eam afflxit. A paroxysmo erat satjs alacris, sapor et gustus toto morbo aderat, quasi aeruginem et aes degustaret. (quod notandum) Oculatior medicus dicebat suspicionem melancoliae hypocondriacae, aut con clausam putrem, malignam et venenatam materiam in hypocondriis et partibus vicinis ventriculo, quae non ita cito, sed tempore vomitione exclu denda foret, nec aliter contingit; nam cum etc. diuturnitas taederet omnes, reeratis viribus mane clyster acer injectus est, tribus post horis cassia data. Natura irritata sursum deorsum ex crevit, sursum quidem aeruginosam, pallidam, ac varii coloris bilem, et mixtos alios humores adeo insigniter corruptos, et foetentes, ut nemo odorem ferret, imo locus totus inquinatus est; allevata est, fluor alvi decem continuis die bus perseveravit. Ac plerosque alios pari modo affectos vidimus, praesertim de orificio ventriculi conquerentes — — In ejusmodi morbis

duo praecipue praestanda videntur, ut *leniter et blande* cum aegris agamus, et *per intervalla tantum*. (*Morbus hypochondriacus sive hystericus erat, stimulo in primis viis haerente, eoque bilioso. Viden denuo moeroris effectus. Stoll*).

§. 614.

Consilio XXXVIII. *Ballonius* ait: Multi melancholiae hypochondriacae meminerunt, et hujus morbi nomen crebro usurpatum, sed quid proprie significet, quis locus affectus, cur ita appellatur, cum non sit necesse melancholicum humor in vitio esse, an intemperies sola sit, an morbus in confirmatione, nondum satis definitum est. (*Nota, 1.*) agnovit *Ballonius* morbum hypochondriacum absque humore melancholico. *2.* (*dubitatur, an non sit vitium in solidis. Stoll*).

§. 615.

Diocles *3. locor. affector.* describit morbum hypochondriacum, aitque sedem in ventriculo esse. (*eam morbi hypochondriaci speciem describit, cuius caussa excitans est in ventriculo acria etc. continente. Idem sentit etiam Galenus. Stoll*).

§. 616.

Noverat et *Galenus* et *Ballonius* aliam speciem morbi hypochondriaci, quam *Galenus* vocat *melancholicam cerebri passionem*, *Ballonius* vero *melancholię cerebralem*, quae cerebrum scilicet primo et per se occupat. De hac specie *Galenus* ait: *fit melancholica cerebri passio, affecto prius calidis dispositionibus cerebro, aut aestuatione, aut phlegmonosa passione, aut phrenitide, interdum & sollicitudine, moestitia cum vigiliis. In melancholia cerebrali Galenus et Ballonius mali sedem in cerebro statuerunt.*

Ballonius ait: qui sunt corpore squallido, macro, sicco, pulsu satis infirmo, aut qui praerubri sunt εξεφυλσον̄ graeci vocant (de quibus etiam *Galenus* 3. locor. affector.) ii melancholiae hypochondriacae sunt obnoxii: item qui curis, aegritudinibus, perturbationibusque animi concutiuntur, qui generosis vinis sese dediderunt, eos in melancholiā hypochondriacam, praecipites ruere testatum satis est — — Inde hypochondriorum aestus, inaequalitas, in calore et frigore, vincente victoque calore, et materia supertante calorem et ab eodem superata. In melancholia cerebrali videtur illam morbi speciem describere, ubi omnibus rite se habentibus praesupposita nimia fibrarum irritabilitate, cassa excitans sive stimulus admodum spiritualis est. Stoll.

§. 618.

In melancholia hypochondriaca unum quoque observandum est, ne similitudinis errore decipiatur, nimirum quod in thorace dolores sentiuntur, ac si pleuritidis argumenta aliqua forent. Et ignari medici male confugiunt pleuritidi, quum dolor iste per hypochondrii sympathiam oriatur. Ita *Ballonius* in annotat. ad cons. XXXVIII.

§. 619.

In omnibus illis morbis, qui partes illas ob-sident, quae nutritioni dicatae sunt, praecipuum curationis momentum in optima victus ratione consistit.

§. 620.

Galenus ait in Comment. in pract. quamdam 2. prorrhēt. neque ventre aut hepate, aut septo inflammato febris maligna est, forsitan acuta est, sed ne hoc quidem perpetuum est. ergo morbi inflam-

matorii per se maligni non debent appellari, praeterea possunt dari internae inflammations topicae absque febre universali. Talis interna topica inflammatio in suppurationem abiens, subinde mortem afferre potest. Sic si modica particula pulmonis inflametur e. g. tuberculum pulmonale ex citata suppuratione phthisis et inde mors oriri potest. Tales phthises oriundae frequentes sunt, cum nulla febris adsit, aut exigua, quae topicam pulmonis inflammationem manifestet. Sic modicus catarrhus male curatus saepe in phthisin abit. Huc ea pertinent, quae Bagliviis annotavit de latenti pleuritide et peripneumonia. Stoll).

§. 621.

Primipara sub ipsis doloribus octies aut sexies convellitur, ac paroxysmum epilepticum patitur; edito autem foetu, bis aut ter. Putat Ballonius, convulsiones has provenisse a *plethora*, usu vini Hippocratici tempore graviditatis, suppressione alvi quinque aut sex dierum ante partum, enixu quoque ipso, accedit, quod primipara fuerit. Subjecto acriusculo enemate ex hiera substiterunt convulsiones. Largus sanguinis fluxus per sinum pudoris. Postridie partus propinatum medicamentum. Dejectiones multae. Quiieverunt omnia. Purgans erat lenissimum, simul lubricans, emolliens.

§. 622.

In confesso est, ait Ballonius, quod scriptum ab Hippocrate, a sanguine in mammis collecto furorem oriri, praesertim si sanguis ille in lac non vertitur aut propter abundantiam nimiam, aut propter fervorem, quod diligenter adnotandum — — Itaque providendum, ut alvus libera semper sit, raptus sanguinis ad mammae cohabeatur — — vi-

dendumque, ut purgationes a partu citentur semper (*purgationes autem hasce citat gramine, asparago, passulis etc. et fotu aquae tepide. Clysmata, et purgantia rhabarbarina pariter huc faciunt Stoll*).

§. 623.

Puls ex amygdalis contusis et hordeo contuso, facit ad sordes corporis abstergendas.

§. 624.

Quaedam mulieres epilepticae fiunt tempore graviditatis, a partu autem sanae sunt. Quaedam foemina haemicrania laborabat extra graviditatem. Gravida autem ab eadem immunis erat. *Hippocrates* 5. epidem. observavit de muliere, cui caput circumdolet, nec allevabatur, nisi quum uterum gereret.

§. 625.

Foemina a primis fere unguibus foedo anhelitu laborabat, ac procul jam foetebat. Palatum, gingivae, faucesque ipsae livosae coenosique humore tanquam uligine quadam erant oblitae, et cum is humor aut mucor potius detersus esset, dicto citius aliis aderat etc. Dubitatum de sede mali, si foetor hic a ventriculo est per depravationem alimenti, assumpto cibo cessaret, vacuo autem ventriculo rediret. *Gordonius* adnotavit, oris foetorem a pectore nunquam curabilem esse.

§. 626.

Idem auctor communem quandam foetoris oris caussam memorat, *humorem phlegmaticum*, quod in hac quoque muliere fuisse credibile est, cum totum os, faucesque hoc humore tetro plenae fuerint. *Ballonius* observavit in ariaga, cuius ex ore foetor incredibilis totam domum inficie-

bat, et cadaverorum olebat: unde non ita longe post fato concessit, siderato toto pectore.

§. 627.

Ballonius ait consilio XLV. In plerisque observabamus initio morbi totam corporis cutim maculis rubris sussusam, quibus tamen nil praeterea alienum contigit. Saepe enim aut sanguinis aestus aut cum fervore quodam juncta malitia aliquid tale promittit. Sal illud nihil periculi junctum habet, sola aut sectione venae, aut blando cathartico, quidquid est, praevertitur. *Hinc causas exanthematum videtur esse aut in orgasmo sanguinis, ubi venae sectio, aut in saburra primarum viarum ubi catharticum valet.* Stoll).

§. 628.

De virium dejectione subita *Ballonius* ibidem ita scribit: quoties vires non constant, nulla praesertim praeceunte evacuatione manifesta aut simili aliqua re, quae jacturam virium faciat, aut cum febris vehementis non adest, malum illud est ut signum (ergo malignitas morbi tunc erit aestimanda ex subita virium jactura, si haec nec a manifesta evacuatione praeceunte, nec a febris vehementia, nec a simili quadam re jacturam virium afferre solita proveniat. Pleuritis vehementis summam virium subitanque jacturam facit, quin morbus propterea malignus vocari debeat. Nam ratio debilitatis est in vehementia febris et inflammationis. Stoll.

§. 629.

Ait *Ballonius*: saepe et optimus color et character (faciei) in aegris apparat, cum tamen morbus ad interitum tendat, tribus ex caussis.

§. 630.

1) Ratione ipsius febris, quae fallacem aliquam faciei viriditatem subinde affert.

2) Si febris ea non sit ingens , aut συντεκτικη.

3) Si qui aegrotat , pulmonum vitio sit obnoxius: qui enim ita affecti sunt, saepe rubro suffunduntur, quod medicis minime advertentibus imponit maxime .

§. 631.

Ballonius saepe observavit, eos aut extreme laborare aut interire, quibus acris caloris et ejusdem temperati ex intervallis vicissitudo est; nec enim solum vicissitudo caloris et frigoris malæ est, uti voluit *Hippocrates* — — — quosdam videmus interire cum perfrigeratione partium et sudore frigido, ut contingit siccis et extenuatis, alios vero cum loco febris tempore non sudavarent, aut leviter tantum, sine ulla perfrigeratione, cum universalis sudore, multo, calido occidere — — — Atque ita, non opinantibus medicis, multi moriuntur.

§. 632.

Letargus a pulmone affecto.

§. 633.

Verum illud comperit *Ballonius*, qui a levi sudore somni sunt expertes, et rursum ardore febrii conflagrant, malum; nam qui bene judicantur, suaviter dormiunt.

§. 634.

Hippocrates observavit meteorismum, hypochondriorum et alvo suppressa et alvo subducta: utrumque malum.

§. 635.

Caloris revocatio et absentia, febris exacerbatio et sine causa manifesta remissio solet esse frequens in febre tertianam referente continua si-
ve τριταῖοφυεῖς. Galenus ait, febres has diebus decretoriis deterioriores fieri.

§. 636.

Hippocrates in coacis ait: qui circum articulos rubicundas in superficie pustulas habent, insuperque rigent, hi circa ventrem rubefiunt et inguina, velut ex plagis dolorosis, et moriuntur. (*videtur hic vibices petechiales describere, sed quid sunt papulae circa articulos?* Stoll).

§. 637.

Vidit *Ballonius* mulieres aliquot et viros, quibus familiaris renum dolor est, gravis et pungens, qui saepe conqueruntur de dolore lateris, ac si pleuritis aliqua nothas costas occuparet, cum tamen nil sit tale.

§. 638.

Galenus ait: *Lac, ubi cruditatem in ventre patitur, in frigidiori acescit, in calidiori amarum, nidorosum efficitur.* Item *Hippocrates* asserit: *Malum lac in acutis febribus, et quibus biliosae sunt dejectiones.*

§. 639.

Ballonius ait: et observavi, quod affirmare ausim, in fluoribus pessimis alvi, asinum lac praescribi; repressa humorum malignitate, lactis bonitate alvus magno commodo substitit. Aliis, quibus alvus adstricta, leve profluviu^m usu lactis contigit, et profuit. (*quaeritur, in quibus alvi profluviis lac prospicit?* 2, *quibusnam aluum moliet?* credo iis, qui intestinis resiccatis, fibrisque adstrictis donati sunt, his enim pars butyracea aluum modicam reddit. Subinde hydrogala p^{rae} lacte conveniet, aut lac cum melle mistum. Stoll).

§. 640.

Galenus, 3. de alimentis ait: lac asinae raro in ventriculo cogitur; quod si lac et mel addatur, non fieri potest, ut ipsum in ventriculo co-

guletur. (modus adhibendi lac cum thee et melle plurimum arridet, coagulum autem praepeditur et sapidius addito sale redditur. (*Lac saccharatum adjecto sale aequa convenit. Stoll*).

§. 641.

Experientia confirmatum est, ait *Ballonius* Cons. L. quosdam, quibus dysentericae et mesentericae erant dejectiones, diu fatigantes, non aliena arte cessavisse, quam diuturno lactis usu. Et *Hippocrates* l. 2. de morbis mulierum in fluore muliebri bilioso lac commendat; quia, ait, fluxus a lacte obtunditur: quod idem de dejectionibus dici potest. Filio Crotolai 7. epidem. circa initium libri, lac per os dat in vehementi dysenteria.

§. 642.

Celsus cap. 22. l. 3. ait, in phthisi sicut in omnibus longis, difficilibusque febribus, lac dare commodum est.

§. 643.

Quidam aegrotabat dolore nephritico acuto; vomitiones, urinae plenaria suppressio. In cadavere tamen solus ren sinister calculo obturatus inveniebatur.

§. 644.

Multi medici putabant, vitium in utroque rene haerere, aut in vesica ipsa, aut utrobique. Sed eos eventus fefellit.

§. 645.

Temperamento bilioso praeditus, emaciatus, habens calidam hepatis intemperiem, ventremque adustum, sive θιρμοχοιλος.

§. 646.

Galenus primus, ait *Ballonius*, fluorum alvi caussam unam agnoscit quandam σωματικην Δια-Δεσιν intestinorum, quae inducitur, si intestina a valido medicamento laedantur, et imbecilliora reddantur, ut adeo humores eo facilius ruant.

§. 647.

Consul parisiensis hepatico profluvio bilioso sex annos vexatus, et nullis remediis allevatus est: eo mortuo inventus tantum hepatis loculus et membrana, illius parenchymate consumpto et colliquefacto. (*Observat tamen Ballonius fluxus hepaticos rarissime esse chronicos. Stoll*).

§. 648.

Quidam veterum, cum perfecte confectum in ventriculo cremorem animadverterent, et tallem fere dejici, nec a meseraicis suctum devetumque, ut fieri solet, ejusmodi affectu labrantes *meseraicos* appellant. Etiam *Ballonius* vidit chylosas dejectiones sublatis multis, quae mesa-racon occupabant, obstructionibus, tandem cesantes.

§. 649.

Quaecunque excretio sanguinis per alvum fit (haemorrhoidalem si exceperis) *dysenterica* vulgo appellatur, praecipue cum dolor, ventrisque torsio aliqua percipiatur: quae tamen cum ulcere est, proprie *dysenteria* appellatur, naturaque ejus in ulcere posita est. Ita enim eam proprie *dysenteriam* vocari et ab *Hippocrate* et a suis *Galenus* autor est.

§. 650.

Si tenue et saniosum et recens mactatarum carnium loturae simile evacuatur, id *hepaticum* est.

Calidas intemperies, ait *Ballonius*, nunquam comitatur ciborum appetitus, sed ingens cibi fastidium, febris, vitiosorum humorum vomitus — — in intemperie frigida non dejicitur appetitus, sed potius augetur desiderium cibi. *Hippocrat.* de diaet. acut. ait: *dysenteria*, quae cessavit, abscessum, vel tuberculum aliquod faciet, nisi vel in febres vel in sudores desierit. Item in coacis: *dysenteria intempestive suppressa abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis* facit.

§. 652.

Mutilis ob copiam sanguinis fit excretio ejusdem per alvum.

§. 653.

Constitutio aquilonia impense frigida saevierat. Morbi multi, praesertim febres, cum magna perfrigeratione; calescendi frigescendique erat vicissitudo et crudor quidam, ut *Aristoteles*, problematon nono et decimo problemate annotavit. Ille autem crudor, graecis σφαχελος, maxime ob frigidam, siccum aquiloniamque constitutionem solet contingere. Pleuritides grassatae sunt, peripneumoniae, pulmonumque variae affectiones. Atque inter caetera tusses et raucedines, praesertim cum desaeviente hyeme, quae in summo squallore et rigore frigoris coagalata fuerant, fundi, liquarique cooperunt. Ophthalmiae multis ρωωδεες, multis ξηφαι. Item deglutiendi difficultas quaedam cum febre, linguae scabritie, et totius oris squallore quodam, juncta virium infirmitate. Nihil apparebat in faucibus, nec solemnis remediorum usus quidquam valebat. Sine tussi, sine excreatione, oris siccitas. Languent

admodum aegri per 20. et 30. dies. Dolor occultus et latens colli, musculorumque omnium, qui ad humeros usque protenduntur. Color faucium non alienus a naturali. Sitis nulla, oculorum quaedam cava, fuliginosus spiritus arcens atque aestuans, ac si in hecticam laberentur. *Cl. Magnus* morbum hunc vocavit *anginam συντηρικην*, colliquativam *anginam*, et catarrhosam colliquationem; nam partes omnes ad guttur, collum et fauces attinentes liquefieri quodammodo videntur: et in exiguis venis ichor tenuis contineri videntur, qui superficiarium dolorem excitat. Omnia morborum hic difficilimus et ad cognoscendum et ad curandum *Ballonio* visus est. Conferent humectantia ex passulis, ficubus, glycyrrhiza, althea, oxymelle.

§. 654.

Hipocrates meminit part. 20. l. 3. prognos. cuiusdam synanches, quae aegrum in periculum non conjicit: non laborat guttur, sed in fauces aut in cervicem, aut in utramque fluxio fit: maximaque ex parte cervix et pectus ruborem contrahunt. Nec dolent vehementer, nec difficulter spirant. Talis fluxio *sacer ignis* ab *Hippocrate* vocatur, quod erysipelatodes sit. Item part. 17. l. 3. prognost meminit faucium exulceratarum in febribus.

§. 655.

Hippocrates ait in coacis: *in jam perniciosis morbis parvi tremores et vomitus aeruginosus, qui in potibus substrepunt, in siccis submurmurant, et deglutiunt difficulter*. Illud murmur in siccis, juxta *Ballonium*, referri debet ad id, quod saepe adparet in delirantibus, in quibus laryngis musculi siccati sunt, et non amplius motum facilem praे-

stent et obediant. Nam cum bibunt illi et delirant, pars aquae, quae descendit, quodammodo it praeceps cum sonitu, in vacuo et inani descendere videtur, obauditurque murmur circa praecordia, muscularis siccatis et inertibus.

§. 656.

Ξύρον νοσήμα ab Hippocrate vocatur quilibet morbus, in quo materies intus conclusa tenetur nec evacuatur. Sic ophthalmia sicca, dum nihil resudat; in cerebri affectibus, cum nec per narres, nec palatum; in affectibus abdominis, cum nil per alvum excernitur.

§. 657.

Si materia excernenda supprimatur, morbus *siccus* vocatur, cum autem excerni incipit, morbus dicitur *ὑγραινεσθαι*.

§. 658.

L. 4. de diaeta acutorum invenimus *χολεραν* *Ξύραν καὶ ὑγραν*. Choleram humidam et siccam. Videtur, ait Ballonius, ex sententia Galeni cholera sicca his nasci, qui cibos coctu difficiles sumserre, transire nequeentes, quibus adjecti sunt acridores: et tunc flatulenta copia impedit, quo minus quicquam excernatur. Hippocrates ait in epidem. ab arida cholera venter inflatur, strepitus fiunt, dolor laterum et lumborum, nihilque alvus dejicit, sed adstringitur. Credo choleram siccam fieri e.g. ingestā nimia quantitate rei ventriculum nimium distendentis, clausis spastice et orificio superiori ventriculi et ano. (Stoll.) Cholera sicca usu balnei juvatur, ut patet ex l. 7. epid. de Pausaniae filia, quae ex fungi crudi esu incidit in choleram siccam. Hydromel valde ei contulit.

§. 659.

§. 659.

Hippocrates ait in coacis animadversionibus :
τα λειπυρικα κοι χολερας επιχωσμενης & λυεται.

§. 660.

Nulla est consensio inter Graecos et Arabes de leipyria febre , ait *Ballonius*, imo nec inter Graecos ipsos . καυσον et febris leipyriae magna est affinitas , iisdemque pene symptomatis morbus uterque se prodit: sitis est ingens , jactatio , mentis percussio , vigiliarum assiduitas , partium extimarum refrigeratio . Sed praesertim in leipyria , aestus in internis , *Galenus* vero ait comment. in aph. 48. Partium extimarum refrigeratio aestuantibus internis , solis accedit febribus , quae καυσοι dicuntur perniciosis , vel potius malignis , ut leipyriis .

§. 661.

(Nota 1.) *leipyrias febres a Galeno ad καυσον referri* , qua in re quidem non male habet . Cum *Causus biliosus* idem sit cum *leipyria* .

§. 662.

2) *Causus hic biliosus uti est leipyria* , inter febres perniciose et malignas referri , quod quidem falsum est , cum per se periculosi non sint . Stoll).

§. 663.

Ballonius ait , in causo linguam scabram esse , in leipyria vero nigrum , causam autem leipyriae statuit idem autor , διχθεσιν ερυσιπελατωδην ab humoris biliosi congestione , vel bilem adustam in ventriculo eryripelatis modo aestuantem .

§. 664.

ρους γυναικειος , sive fluor muliebris multas mulieres affigit , ex earumque numero albas , et quibus laevis admodum aequalis et jucunda visu superficies inest , et quae delicioris molliorisque

sunt habitus, eosque in morbos proclivioris: sunt effoeminationes, aquosaeque magis, quas *Hippocrates* l. de *diaeta υδαταινουσας* vocat; fluxionibus sunt obnoxiae, et partes principes aqueas, laxas, uliginosasque habent.

§. 665.

Sexagenaria per aliquot annos fluorem foetentem, putremque passa, usurpato levi remedio eundem sttit. Inde successit diabetes funestus. Urina tota fere die plane aquea fluxit, nec natura eam sistere poterat. Macies, sitis inexplebilis, lingua arida, et pellucida prae siccitate. Spiritus foetens et cadaverosus. Regio renalis semper perfrigida, quasi ab admota glacie, post quatuor menses mors. Putat *Ballonius* fluorem illum muliebrem a salsa partim, acidaque materia manavisse. Fontem catarri exaurire oportuisset, diaeta exsiccante, decocto sarsaparillae, medicamentis purgantibus, venae sectione.

§. 666.

Mulier quadrata, boni habitus et sana a 2. mensibus caret menstruis, grida existimatur. Per mensem integrum saepius questa est de dolore ventriculi. Exacto mense graviditatis secundo ad balnea sudatoria pergit. Tertio post die imus venter ei dolet. Dolor primo vagus, deinde ad partes paulo superiores revolvitur, stomachumque quodam veluti pondere premi queritur. Dolor gravissimus. Clyisma carminans. Alvus licet irritata nil reddidit. Nox insomnis. Mane clyster acerrimus, sed frustra. Die tertio (prioris autem duos ορθοστασην transegit) frequentes syncopae. Sudores ad claviculas. Mente constat. Datum cardiacum revomuit. Frequentes vomitios. Frigus extremarum partium. Character fa-

sieci plane deletus. $\alpha\sigma\phi\chi\alpha$ perfecta: deinde vermiculatus pulsus, hypochondria satis aequalia, sed illa, et regio ventriculi *contrectata* etiam *blande dolebant* et syncopen inducebant. Necessario erat illi propendendum in dextrum latus, inclinato etiam capite; si aut supinam figuram retinere coheretur, aut in sinistrum latus devergere, animo deficiebatur et pene suffocabatur. Vomitiones perpetuae. Alvus pertinaciter clausa. Sitis ingens et inexplebilis. In ventriculi regione sensus quasi ardentis carbonis. Inquies et jactitatio. Die ter-tia pomeridiana mors. Cadaver livens.

§. 667.

Equiso quidam, cum sero bene coenasset, quarta matutina prehenditur febre acutissima, circa duodecimam meridianam totus imus venter inflatur, delirat, tertia pomeridiana pulsus parvus, et frequens, nigra dejiciuntur: sero pectus dolet: Duodecima pulsus formicans, interiit tunc. Corpus totum intumescit, et nescio quibus suspectis maculis deturpatur.

§. 668.

Filius vitriarii percepit prima die dolorem exiguum ad latus dextrum, vomitiones assiduae: die secundo dolores inferius ad ventriculum et cartilaginem xiphoidem, tertio die habuit $\alpha\rho\delta\sigma\tau\alpha\delta\eta\pi$, quarto die summus ad ventriculum dolor, inflatio, extremorum frigus, leipothymiae, sudor, mors.

§. 669.

Nota: in prima historia *abdomen* et *hypochondria* non tensa, non tumida, sed aequalia; attamen levissimum attactum non ferentia. In secunda histo-*ria malum* statim ad initium vehementissimum est, cum *abdominis* tumore. In tertia *malum* ad initium

mite, denum atrox. Summa cautela opus erat in diagnosi tertii morbi. Dolor exiguus, et quod oportet haberet, decipere medicum potuit. Dolor etiam inflammationibus abdominalis ad initium et fugax et errabundus esse potest. *Ballonius* recensitis his tribus historiis dissuadet clysteres acres in colicis, adducitque *Arnoldum Villanova* clysteres blandos mitesque in ejusmodi doloribus suadentem. Idem *Ballonius* ait, morbum caeliacum *Celsi* convenire vix non cum historia morbi primi. De ejusmodi colicis doloribus ab inflammatione loquitur aphorismus 26. l. 7. in forti dolore ventris partium extremarum frigiditas, malum. *Stoll*.

§. 670.

Quartam historiam refert *Ballonius*: Auriga quidam queritur primo die dolorem levem ad latus sinistrum, qui statim et pedetentim ad regionem lienis descendit, ac increvit: vomitiones frequentes: dolor stomachi secundo et tertio. Perseverabant vomitiones rerum viridium aeruginosarum: dolor lateris non affligebat: in ventre inferiore vagos dolores percipiebat. Quarto de nocte omnia exacerbabantur; partes extimae refrigerescunt; cogimur praef suffocatione mittere sanguinem, quod ita requireret aeger; vomitiones tanquam lutosi, nigrique humoris, syncope, mors.

§. 671.

Hippocrates narrat in prorrheticis duas esse diarrhoeas, una cum febre, variis excrementis hepatis, inflammatione, aut praecordiorum, aut ventris, cum ciborum aversione: aliae quidem sunt sine his signis, cum ramentis quidem et sanguine, sed breviores sunt, et eas vocat λυστελεας, fructuosas, commodasque aegris, quod

aut a diuturnis, aut brevibus morbis aegros asserant. De his posterioribus loquens ait: *quae uterum gestant, ab hujusmodi dysenteriis, et ad partum et ex partu evadunt, foetus sanos habent, etiam per multos menses et sanguine et ramentis excretis.* Putat Ballonius hanc dysenteriam provenire a congerie excrementorum facta, quorum excretio et foetum in melioris valetudinis bonam spem adducit.

§. 672.

De singultu et febre singultuosa, sive per se talis sit, sive in prolapsione intestinorum accedat, deque eorum curatione abunde dictum est ab Hollerio in methodo medendi.

§. 673.

Ad ripam Sequanae quidam cum menses quatuor febre quartana, erraticaque laborasset, emaciatus plane, squallidus coepit tantisper despere, delirare, crebro resurgere et inde cataphora; seu catalepsi prehensus interiit. Item Rondeletius, diligens rerum observator, annotavit; caron, cataphoram et catalepsin in febres quartanas longas, et tertianas incidere. Item filius Domini Povart, cum bimestri tertiana laborasset, nec ad medicamentum adduci potuisset, quum coelum incanduisset paullum, datur medicamentum, cui indormiendum imprudens pharmacopaens consultit. Medicamentum inane fuit: movit, nil exclusit. Ab eo tempore vix febris expers: de dolore capitis, de quo prius non querebatur, modo conqueritur. Dum paroxysmus repetit, repente $\alpha\varphi\omega\nu\sigma$ fit, elatis in cerebrum vaporibus, imo et febre ipsa jam cerebrum occupante, unde caloris acerrimi sensus apparebat, ac si febris esset capitalis (ut sic loquat); per 24. horas

αφωνος fere fuit et catochus eum prehenderat. Virtus erat debilis, nil natura praestitit, quamvis irritata: convulsus interiit. In cerebro nil deprehensum: venae intumuerant parum, vi febris interiit; obsesso cerebro quoque, ut interea non esset flabellatio cordis ob respirationem non libera. (Vide deliria, pœma, carum, catalepsia etc. a biliosa potius saburra in hypochondriis stabulante et resorpta oriunda. Probe hæc affectiones capitis distingui debent ab aliis ejusdem affectionibus; illas biliosas, has vere inflammatorias potius appellare convenit; illis purgans, solvens, vomitum ciens, his venae sectio medetur Stoll.). Hippocrates l. 4. quid. notat, quartanam febrim totum cessavisse, cum homo factus esset typhodes aut typheodes stupore attonitus.

§ 674. Carpentarius quidam, nomine Gilet, annorum pene 28. imbecillis pulmonibus ac purulentis, mutifidem eventus fecit, crudeli phrenite decubuit. Pulsus inaequalis et intermittens. Vener ter quaterve secta. Convaluit. Addit Ballonius, intermissionem hanc ab aetate esse, juvante quoque duricie pulsus tum ratione inflammationis, tum duricie vasorum. Quod animum addidit ad secandam venam in hac intermissione, erat pulsus magnitudo: si enim ad istam intermissionem pulsus crebritas cum parvitate accedat, angustior longe spes est. — — — Istam pulsus inaequalitatem saepe de industria in molliusculis pueris conspicuam vidit, praesertim cum dormitant.

§. 675.

Partium externarum perfrigeratio pertimescenda est in inflammationibus partium internarum.

§. 676.

In febribus epialis non solum est sensio caloris et frigoris simul, in quo epialis natura consistit, sed etiam mox calor percipitur, mox frigus.

§. 677.

In febribus cum catarrho junctis, alterna frigoris calorisque permutatio non solum in partibus corporis extimis, sed etiam in toto corpore ipso usu venire solet.

§. 678.

Galenus ait, inaequalitatem et intermissionem in arteriarum obstructione et asthmate minus esse terrificam; quod de asthmate dixit, idem potest audiri de infarctu pulmonum et copia pituitae, licet homo ita repletus, quod forte latum habeat thoracem, non sit asthmaticus.

§. 679.

Hippocrates l. de veteri medicina scribit, non a calore simplici, aut a frigore, sed ab amaro, acido, acri aestimandos morbos esse, ut in vacuando potius, quam in alterando laboremus.

§. 680.

Decoctione visci quercini in morbis epilepticis aut quasi epilepticis tempore *Ballonii* valde celebrata fuit.

*Ballonius consilio LXI. describit foeminam, paroxysmos aut hystericos aut epilepticos pati solitam, de qua dicit: continenter aqua ab ore defluit: et in ultimis paroxysmis tota facies rubore suffunditur, manentque veluti exanthematum quedam vestigia quarto a paroxysmo die. (Hanc salivationem et continuam sputationem vidi in Dom. de T** tempore graviditatis affectiones hystericas pati solita. Exanthemata autem rubra circa nasum, labia, et in mento tempore paroxysmi hysterici oriri solita, et quedam pustulae rubrae et post paroxysmum aliquamdiu visibles apparebant in Domina Z** Huc pertinet genarum, oculorum, et praecipue nasi totius tumor dolorque in Dom. M** tempore paroxysmi oriri solitus, post paroxysmum autem disperrens. Stoll).*

In morbo epileptico aut quasi epileptico, cum dubitatum esset, an a cerebro, vel a partibus cerebro subjectis proveniat, *Ballonius* ita ajebat: cum aegrota sit sagax, expedito et solerti animo, ingeniosa, non videtur malum a cerebro esse. Nam cum quis epilepticus est, affecto primum et perse cerebro, maxima ex parte hebes est, obtusus, oblivious, socors, ignavus, oculis concavis, somniculosus; gravi capite, vertiginosus, et nullis signis praeeuntibus statim concidit. At qui ob partes, capiti subjectas est epilepticus, non statim concidit, sed pleraque patitur, tanquam futuram accessionem praesagientia. Eadem haec aegrota, cum utero gereret, non tam frequenter epilepsia corripiebatur, quam cum utero non gereret.

§. 683.

Vertigo, nausea, vomitus, cardiagmus aequivoqua signa sunt, quum fere aequa affectionem cerebri et ventriculi consequentur.

§. 684.

Juniores puellae, nuptiae, et frequenter enixaes tanto imbecilliores redduntur, quanto frequentius enixaes fuerint: imo magna eorum pars catarrhis et doloribus capitis immedicabilibus detinetur.

§. 685.

Hippocrates sribit, in Pherio mulierem existisse, cui caput valde condoleret, idque multo tempore: doloris nulla ope medica levabatur: cum irent menses, levius habebat, cum concepisset, dolores relinquebant. Novit quoque *Baljonius* mulierem vetere hemicrania laborantem, cum frequenti cardiagmo. Ne minimum quidem appulsum caloris, aut frigoris, aut fumi ferre potest, quin doleat. Dum foeta est, alacris, jucunda et immunis ab omni est dolore. Idem *Avicenna* Cap. II. L. 3. ait, mulieribus saepe non gravidis crurum et lumborum dolores oriri, qui concepto foetu in utero cessant. *Hippocrates* libro de superfoetatione meminit, non tantum dolores lumborum, sed et capitis et aliarum partium; ita enim ait: si dolores in coxendice mulieri contigerint, aut in capite, aut in manibus, aut aliqua alia corporis parte, et quum praegnans est desierint, post conceptum ab utero exsolutum, si repetunt, huic odorata ad uterum suffire convenit, et bibere quoque convenit.

§. 686.

L. 5. epidemicor. narrat de muliere doloribus capitis, cum utero non gereret, conflictari

solita; eam ait odoratis ad uterum appositis juvan, et cunctibus mensibus. *Fernelius* contra notat, multas foeminas, quum utero gererent, paroxysmo epileptico prehendi solitas, liberas vero extra graviditatem.

§. 687.

Galenus et *Hippocrates* ajunt, in imminentibus morbis per distantiora revulsionem esse faciendam: in praesentibus vero per locum proximum. (*Ergo sectio venae penes locum affectum nil novi est Stoll*).

§. 688.

Hippocrates I. 1. de diaeta ait: morbi paulatim fiunt, et crescunt, et paullatim collecti affatim et acervatim apparent.

§. 689.

Ad hanc difficultatem, quae est, cur mulieribus male sanis ex concepitu commoditas proveniat, contra sanis majora symptomata et deteriora eveniant, quum contra fieri debeat, pertinet locus notandus ad finem libri de carnis *Hippocrat.* ubi docet, mulieres puras gravius affici initio conceptus, quam impuras: et si impurae afficiantur, non ita percipiunt (*hinc fors dolorum quorundam extra graviditatem affigentium et post conceptum sponte cessantium curatio desumi potest. Stoll*).

§. 690.

Cum eodem die modo calor, modo frigus adparet, autumnales morbos parit.

§. 691.

των εξερυθρων duo sunt genera: alii calidi et humidi sunt, hepaticique dicuntur, et multum sanguinis generant; pulsus habent plenos, elatos, magnos; multum sumunt alimenti; febribus con-

tinuis, synochis putridisque sunt obnoxii — —
Si in quartanas incident, eae longe quidem sunt,
sed securae. Alii colorem habent rubrum et he-
par praecalidum: sed calor in humiditate positus
non est, sed in nescio quo squallore, siccitate,
humiditatis inopia: et hi, tametsi rubore alias
fugaci perfundantur, suffundanturque, tamen hoc
non est judicium abundantis sanguinis, sed cali-
dioris hepatis sanguinem acrem, subtilem, sero-
sumque generantis: sic sunt pauci sanguinis, pul-
su satis celeri, non elato, non plano; valetudi-
narii vivunt; serosis humoribus abundant, febri-
bus longis, hecticis, haemitritycis detinentur,
fluoribus hepaticis, et si in quartanas, alias con-
tinuitatem habent, utpote sanguine non hume-
rato nec corde, et inaequalitate in pulsibus per-
severante, urinas meiunt aqureas; et alias in quar-
tanam incident atrabiliam, horrificam. Piores
~~εξερυδροι~~ venae sectionem facile ferunt. Posterio-
res non nisi cum summa difficultate — — hypor-
chondriacis morbis laborant, et obstructionibus
mesenterii et tenaces sunt, et moesti, et facile
terrentur, et apprehendunt. Imo in hydropem
siccum facile delabuntur. — — Utrisque solemnis
subinde est quaedam alvi fluxio, quae dum fiat,
ut erat morborum vindex, ita cum cessat, eo-
rum demum est promotrix. — — in hi εὐεξία
et εὐχρόια mala est; omnis enim εὐεξία, et εὐχρόια,
quae praeter rationem advenit, consuetis naturae
legibus non continetur, imo potius est ob veter-
is et solemnis evacuationis suppressionem, quam
ob partium solidarum repletionem et instauratio-
nem, nata est. — haec εὐχρόια solum indicat
abdomen plenum esse, mesenterium plenum, an-
de vetus sterlus illatum illam aperte secundum

quid, non absolute, bonam inducit — — εὐεξίας haec morbos a plenitudine indicat, non sanguinis, sed humorum in abdomen contentorum. Hinc quibus mulieribus menses, aut viris haemorrhoides subsistunt, eae impinguantur. An praeterea bene habent? non — Hippocrates lib. coac. animadversionum ait: *Coloris bonitas, et sudores sine febre, aut inordinatam diaetam docent, aut vetus stercus subesse.* Haec coloris bonitas bona non est, uti nec ea, quae in peripneumonicis adparet. — — Sic non quoties quis saturato rubore est, dicere oporteat, eum valde sanum esse, nec taliter affectum dicere oportet, temperamento esse sanguineo. — — Rubens gena non propterea sanguinis dominatum declarat. Nam bifariam rubent genae, aut propter sanguinis abundantiam; et tunc eos sanguineos esse dices et ii quadrati esse solent, rubicundi. Parum de rebus solliciti (nisi inclinante aetate corpus minime perspiret) et liberiores esse oportet in sanguine mittendodo. — — §. 692.

Theriaca initio febrium quartanarum data, duplices triplicesque quartanas facit.

§. 693.

Galenus l. de typis c. 4. ait: quartanam typum sequuntur inappetentiae, salivationes, aliquando ex causis contrariis appetentiae intensae, tussiculaque ipsis adest, quando corporis habitus corruptitur. (*In quartanarum paroxysmo d'vidi etiam ego famem intensem Stoll*).

§. 694.

Corpora macilenta, attenuata, squallentia, arida, quaeque adstricta alvo laborant, validioribus medicamentis tentanda non sunt. — —

Ejusmodi ventres siccios et arentes *Hippocrates* vocat *ambustos exustosque*. — — non calefacientia, sed lenientia eccoprotica etc. prosunt; non cent scammoniata. — — Ea corpora *praehumectare* oportet ex consilio *Hippocratis* in Aph. de usu helleborismi. Quidam ex coaetaneis *Ballonii* sic illa corpora purgabat, ut per tres dies continuos, et bolis cassiae tanquam alimento sumptis, et jusculis vitulinis *praehumectaret* et *pararet*.

§. 695.

In iis, qui febricitant insigniter satis, sed non valde sitiunt, et levibus momentis exhorrescent, non est aequum, usum magnorum remedium accelerare, praesertim coelo paulo frigidore. Innumeras vidimus hieme tepidiore febricitantes eo modo quo descriptum a nobis est, quibus medici *praepropere* vulgatam nimium mendendi viam sequentes, et sectionem et purgationem adhibent. — — Eccoprotica dare sufficit, non scammoniata eradicantia medicamenta, in quo graviter peccatur. etc.

§. 696.

Ballonius observavit, medicamentum etiam blandum, horis pommeridianis tribus horis a prandio exhibitum, magnum habere effectum. Hinc discere possumus, ait *Ballonius*, in his quibus alvus admodum adstricta est, ex usu esse, si quatuor horis a prandio exhibeamus pharmacum.

§. 697.

Hippocrates observat in affectibus pulmonum, praesertim si inflammatio sit, insignem mutationem pulsus, et animi defctionem, quod nos animadvertisimus saepe; imo et quoties multa pi-

tuita infarcti sunt pulmones, et si a capite cattarrhus illabitur — — quidam ita affecti simul putant, sibi animum deficere. Quod pauci animadverterentes, illud ad inanitionem revocant, et ad repletionem configuiunt. — — Pulstreum inaequalitas et nonnunquam intercalaris intermissione potest provenire ab obstructione laevium arteriarum: potest et propter pulmonum ipsorum infarctum provenire, aut mollitudinem et laxitatem ipsorum, utpote qui in costas incumbunt; quod annotavit *Hippocrates*: maxime vero videtur fieri ex pravitate anathymaseos; declarat id, indicatque subinde curatio; nam pro gradibus purgationis pulsus restituitur subinde.

§. 698.

Hippocrates 2. prorrh. observat, in morbis funestissimis contingere quandam leucophlegmatiae speciem, ob malignam qualitatem et flatulentam, quod in phthisico quodam *Ballonius* videt, cui totum corpus moribundo intumuit, ac facile disparuit.

§. 699.

Ballonius l. i. conf. LXXIII. narrat de foemina, cuius ex utero flatus erumpabant; quod *Aetius* observat in cap. de inflammatione uteri et satyriasi.

§. 700.

Filiola Domini *Floraei*, quum sub dio, partim in sole versata esset, dolere caput coepit, et tussire: febris acuta, per intervalla major: noctes molestissime, maxime enim ad sextam serotinam et febris et omnium symptomatum exacerbatio, jactitatio, inquies, tussis et tussiendi cupiditas perpetua: nullum sputum, tametsi esset stridula; in pulmone humoris concursatio,

quae obaudiretur. Sitis ingens et implacabilis frequens et brevis respiratio cum difficultate. Postquam tussiverat, statim ejulabat; aliquando in partibus extimis febris mitescere videbatur, imo leniter perfrigebantur, ac si non foret accessio; sed illud fallax fuit; de dolore lateris non querebatur. Rubor generum non erat, etsi is fere perpetuo adesse soleat in inflammatione partium thoracis: item aliquando clauso ore dormiebat. Octavo die symptomaticus alvi fluor; nono interiit. Aperto cadavere latus sinistrum purulentum erat, et pars pulmonis, quae illud continget; imo et pus in capacitatem fusum erat. Pleuritis fuit. Venae sectio neglecta fuit. Afferit *Ballonius*, se observasse in pueris valde febrentibus frequentem, parvamque respirationem, licet affectus thorax non esset, sed nonnunquam magna intercidit respiratio in omnem dimensionem dilatato thorace: at in hac puella nil tale observavit: imo cum dilatare thoracem vellet, subsultabat quodammodo et vociferabatur. (*Stridorem in pectore, exacerbationes manifestas, et convulsicas, pallorem faciei, spiritum exiguum, frequentemque continuo; saepius vidi in inflammatoria puerorum pleuritide Stoll*).

§. 701.

Tabescentes comitatur subinde febris semi-tertiana.

§. 702.

Ballonius narrat de foemina, quae ex febre trithaeophye decubuit, indeque mortua est 27. die morbi. Dein addit sequentia: nec alienum erit monere, *Galen* placuisse cum veteribus febribus istas trithaeophyeis inflammationem sequi partium internarum, quod et in hac muliere observatum

est, totum enim corpus internum incendio conflagravit, totus sanguis putris erat et fere lacteus.

(*Febris haec tritaeophyes dicta, erat febris vere inflammatoria. Nomen ergo tritaeophies subinde biliosis, subinde vero inflammatorii indebatur. Stoll*).

§. 703.

Perperam medici faciunt, qui ubi primum aliquem haemopticum vident, illum frequenti venae sectione fatigant; sic enim pulmoni et laterialibus infirmitas conciliatur. (*Ubi roborantibus opus in hemoptoe, ibi nocet venae sectio. Stoll*).

§. 704.

Si instantibus crisibus, praesertim si morbus biliosus sit et bene ordinatus, medicamenta dantur, saepe hypercatharses inducunt: quod centies verum deprehendi, et id primus edisseruit *Hippocrat*. Ita Ballon. Id. *Hippocratis* libr. de medicamentis.

§. 705.

Ex *Hippocrate* constat, medicamentis praescriptis diebus instantibus criticis, aut secta vena hypercatarses esse faciles: quod nos in plerisque observavimus.

§. 707.

Catoche, cataleptica affectio, cedit in febres praesertim eas, quas committit nescio quae in parte dispositio; ut cum materia est in cerebro — — aut cum est in ventriculo, aut in hepate, fit febris elodes, typhodes, erysipelatodes — —

§. 708.

Cum in episemasia morborum febrilium soporosi affectus surgunt, affectionem et pravam dispositionem non in genere venoso, sed aut in ventriculo, aut mesenterio aut in cerebro ipso significat, et ad pravum exitum saepe hae febres tendunt.

§. 709.

§. 709.

(*Nota 1. affectiones soporosas a primis viis
criundas, uti e. g. in morbis biliosis, hinc etiam de-
lirium biliosum.*)

2. *Febris erysipelatodes aliud est apud vete-
res, ac hodie; veterum enim erysipelatodes perti-
nent ad febres stomachicas, aut intestinales.*

3. *Febris typhodes, elodes, materiam morbi in
primis viis habent, pertinentque ad stomachicas et
intestinales. Stoll).*

§. 710.

*In morbis omnibus malignis, qualiscunque
fuerit excretio, quoniam virulentae materiae ex-
cretionem, quomodocunque id fiat, juvatur, plu-
rimum profutura est.*

§. 711.

*Haemorrhagia narum praeter aetatem et mo-
rem, itemque genarum rubor pulmonum eorum
proprium existit.*

§. 712.

*Experientia probavit, exiguo pure, aut vi
excreto, aut sua sponte mananti, majorem virium
jacturam contingere, quam si sanguis aut plenius
detrahatur aut sponte fundatur.*

§. 713.

*Evacuationes magnas, aut aquae in ventre
aut puris in thorace, aut ubicunque alibi, non
debent fieri *confertim*, sed successive. Id quod
Galenus jam monet.*

§. 714.

*Hippocrates ait, quibus dolor ad hypochondrium sine inflammatione, his febris superveniens
solutio.*

Quum iniretur consilium pro Forcii Merca-
toris cognato , cui dolores arthritici suunt familia-
res , et autumno et vere repetunt maxime , cre-
ditum est , serum maxime putre a visceribus ma-
nans causam reducis illius mali esse . Declarat
curatio ; nam cum expurgata prima regio ventri-
culi , et educti multi humores serosi electuario
diacarthami , et syrupo rosarum solutivo , praeci-
piebatur occasio reditus . (*Ad morbos biliosos do-
lores hi pertinent , iique saepe observantur post mor-
bos biliosos , autumnales , non sufficienter adhibitis
evacuantibus , curatos . Stoll*).

§. 716.

Ballonius narrat de quodam , venerea lue in-
fecto , cui gonorrhœa virulenta suppressa fuit in-
tempestive . Suppressa gonorrhœa uxorem suam
compressit . Medio graviditatis tempore dysente-
ricum et serosum profluvium patitur mulier , quo
vix liberatur — — nono mense foetum edidit
purum et incontaminatum , quod mirum fuit —
— sed cum forte matri propinatum esset phar-
macum aliis rei causa , et jusum esset lactari in-
fantem etiam medio graviditatis tempore , repen-
te multis corporis partibus argumenta certe ejus
et scabiei hispanicae paruerunt . — — Infans
nondum duos menses natus ablactatur , et lacte
pascitur e vitro vase , collum gruis habente .
Provisum puello hoc remediolo .

R. Butyri recent. non salsi in aqua salviae
lot. unc. jv.

Argenti vivi in eadem aqua lot. dr. ij. diu
triturando , fiat linimentum .

§. 717.

Ballonius describit l. I. Cons. med. conf. XCIV. febrem assoden, morte terminatam ubi sanguis cum crusta ter educebatur. Male dabatur purgans. (*Videtur fuisse atrox inflammatio ad cartilaginem xiphoidem. Patet febrium assoden subinde vocari etiam eam, quae vere inflammatoria est. Stoll*).

§. 718.

Galenus in comment. in aph. 23. l. I. in biliosis et ardentibus febribus non reformidat venae sectionem, etiam ad leipothymiam usque. (*Quas Galenus biliosas febres vocat, hic fuere inflammatoriae. Frequenter in veterum libris occurrit. Febres biliosas saepe nominarunt a crusta sanguinis flavescente, quam bilem dixerunt. Ita Ballonius omnes fere pleuritides biliosas vocat, id est, nostra phraso inflammatarias. Imo Hippocr. l. de locis in homine nomine bilis pleuritin intelligit. Arabes in biliosis morbis venae sectionem reformidant, sed an eandem cum veteribus de bile ideam habuerunt? Stoll*).

§. 719.

Galenus ait, omnes morbos diurnos frigidos esse. (*Tamen dantur morbi calidi diuturni, Stoll*).

§. 720.

Quartanarius hausit cyathum unum aceti destillati aqua diluti. Revera febris visa est extingui: sed vice illius totum corpus scabie est infectum, nec non ab eo tempore in magnis temporum mutationibus, articulatis doloribus est impeditus.

Quibus praecordiorum dolores, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, sic sanguine per alvum egesto servantur, non egesto moriuntur. *Hippocr.* in coacis.

§. 722.

Quibuscunque ex morbis acutis ac diuturnis, sive quovis alio modo extenuatis nigra bilis, si-
ve uti sanguis niger desuper exierit, postridie moriuntur. l. 4. Aph.

§. 723.

Saepe quibus venarum aliqua rupta est, a laboribus aut exercitiis, quum coaluerit, alio tempore iterum rumpitur, ubi vero iterum rupta est, sanguinem fundit, et statim pereunt sanguinem multum fundentes; pus autem per totum diem excernentes consimili modo pereunt, veluti in aliis morbis dictum est. l. I. de morbis.

§. 724.

Hippocrates dilatationem venarum in pulmonibus veluti varicosam adstruit; itaque σπαδωνα vocat απο το σπασδαι quod pree dilatatione dividellantur membranae pree sanguinis copia ibi inundantis. Et sic in omnibus corporis partibus ob violentum aliquem conatum ille spadon seu κιρσος potest contingere. *Hippocrates* in libris de morbis.

§. 725.

Hipp. sect. 3. l. 2. epid. memorat quartanam quoque febrem longam facto impetu in universum corpus, et tumore, qui ad lienem erat, evanescente, desiisse.

§. 726.

In febribus, quae non intermittunt, exulterationes sanguinolentae, liventes, graveolentes, biliosae, omnes malae sunt: si bene procedunt, bonae: eademque ineunda ratio in iis, quae per alvum et urinas feruntur. *Hipp. aphor. 47. l. 4.*

§. 727.

Error Medicorum est, ait *Ballonius l. I. Consil. CVIII.* qui cum sputum aut cruentum aut subcruentum vident, putant esse aut pleuritidem aut peripneumoniam. Quae opinio, etsi opinione *Galenii* et *Hippocratis* paullo post confutata est, quod ex pulmone saepe pravae fiant excretiones ut floridae, id est cruentae, nigrescentes, pallidae, cum tamen nec sit inflammatio, nec pleuritis, nec peripneumonia. Inter caetera locus est commemorabilis in historia de Pythione l. 3. epid. p. 4. sit. ubi docet, varia Pythoni, et cruenta sputa apparuisse, cum nec peripneumonicus, nec pleuriticus foret, nec a capite malum esset, sed a defluxu tantum materiae, quae non erat tanta, ut inflammationem pareret, aut forte in pulmone congesta, sed quae incendium non conceperat.

§. 728.

Circa faciem coloris suavitas, et sudor sine febre, aut vetus stercus subesse significant, aut diaetae *αταξιαν*. Vide locum praeclarum. c. 2. l. *Cels.*

§. 729.

Revera rubor genarum inflammatorum, aut inflammationi proximorum est indicium.

§. 730.

Ballonius observavit, quod somnus in multis morbis acutis laborem faciat, convulsiones et ti-

mores afferat — — — Per somnum non soluntur febres, imo extenduntur, dolores augentur, fluxiones multiplicantur, crescunt inflammations.

§. 731.

Hippocrates ait l. 4. de acutis: Hepatis dolores et splenis gravitates, et aliae inflammations ac morborum collectiones solvi non possunt, si quis primum medicamentis purgantibus purgare aggrediatur: Nam venae sectio in talibus principalis est, dein infusa per clysteres et post venae sectionem purgans medicamentum securitate et moderatione opus habet etc.

§. 732.

In intumescente, et ad attactum dolente ab domine, et praecipue hypochondriis, alvo sive subsistente, sive etiam liquida, *Ballonius* venae sectionem faciendam suadet. Notat diligenter, non semper magnam adesse febrim, etsi intus inflamatio lateat, quae venae sectionem poscit. Talis morbus est *tympanites*, ortus a phlogosi, sive ventositas flatuosa, sive ανεμιη. *Hippocrat.* ait Lepid. sect. 5. ventositatem flatuosam venae sectio solvit.

§. 733.

Galenus ait: si in jecore, septo, ventriculo, phlegmone oriatur, acuta febris forsitan fuerit, quamquam ne hoc quidem perpetuo. Verum, nondum vera maligna est.

§. 734.

Ballonius ait: videmus plerisque salivam dulcem et veluti insulsam esse, aliis salsam, nitrosam; aut aliis vehementioris qualitatis, ita quoque de defluxionibus dicendum est. Talis autem generatio peculiarem naturam corporis cuiusque

sequitur: unde Hippocrates l. 2. epid. sub finem sectionis primae vocat corpus $\alpha\lambda\mu\omega\delta\epsilon\varsigma$, quod humore nitroso et salso abundat, et a cuius capite maxime fluit talis humor. (Tale corpus $\alpha\lambda\mu\omega\delta\epsilon\varsigma$ habuit puella in Marienbilf apud tres lepores, quae gravissimis doloribus capitis diu laboraverat, et salsam querebatur, tandem solventibus, sero lactis, succis recentibus taraxaci, cichorei etc. interpositis purgantibus ex rheo curata est. Domina de T***ra arthritica facta, dolore gravi capitis affecta, pariter habet corpus $\alpha\lambda\mu\omega\delta\epsilon\varsigma$, queritur fere semper gustum depravatum etc. (Stoll).)

§. 735.

Hippocr. l. de vetere medicina abunde docet, in salsis et acutis fluxionibus mitificandum esse, non autem evacuandum.

§. 736.

Hippocrates in coacis ait: quibus salsuginosa sputa et tussis supprimuntur, his corpus velut a pustulis rubescit.

§. 737.

Hippocrates l. 3. de morbis, caput praeclarum scripsit de lethargo, ubi lethargum ait ori per quandam peripneumoniae affinitatem, et in isto lethargo potius pulmoni, quam capiti consult.

§. 738.

Hippocrates de indicatione purgandi ex urinis desumenda sic ait C. 4. auctor. Quibus initio urinae crassae ac nebulosae fuerint, hos annuentibus ceteris purgare convenit. Quodsi urinae in initio tenues fuerint, tales non purgabis. (Egregia haec regula Hippocratis est, pro formanda diagnosi, utrum inflammatio ad sit, an non. Nam in inflammatione omnia ad initium cruda, incocataque sunt, id est urinae tenues. Stoll).

§. 739.

*U*nus *Ballonius* ait: Quaecunque mulieres; idem et de viris, dum sanae suut, dolent de latere aliquo; cum febricitant, aequre dolent, ac si pleuriticae essent vere; et revera cum iis, ut cum pleuriticis agendum.

§. 740.

Putant, pleuritidi ideo succedere fluorem alvi, quod inflammatio communicetur cum hepate, et partibus nutritioni dicatis. Quemadmodum inflammatae gingivae in dentientibus facile ventriculum et intestina sollicitant. (*Patet in fluore symptomatico pleuritidis fieri vena sectionem debere, cum id sit symptomatum acutae inflammationis.* Stoll).

§. 741.

Dentientibus pueris subiade opiate dare convenit. Pusioni sedecimestri *Ballonius* curavit in juscule pulli incoqui dr. iiij. Sem. papaver. alb. cum lactuca in taleolas secta.

§. 742.

*J*oannes *Tasinus*, calidus temperie et siccus, veneri indulgens, ut erat suspicio; vertigine oppressus linguae minime continens, repente concidit. Obmutuit, paulo ante gravi metu perculsus fuit; fandi impotens, loquentibus annuit. Designat locum dolentem ad latus dextrum circa septum. Ad frontem et tempora flammeus calor manu medici percipiebatur. Post paroxysmum narrabat, se gravissime caput doluisse. Ex intervallis exsilit, more phreniticorum, non convellitur, obmutescit, sopor velut vigilans, delirium. Dolor latus dextrum; sinistrum autem ante doluit. Olim sanguinem ore rejectavit. Secta vena est. A vena sectione rediit paroxysmus; coepitque

stata periodo reverti, idque noctu. Restitutus doluit adhuc capite et latere, febre carebat. Urinae non malae. Spiratio frequens, parva, non magna, rara, licet delirus; aliquando spirabat parum elato pectore, frequens, et humile, illa dueendo; hypochondriacum aliquid congenitum erat: pulmonicum quid putabant, aut a pure vaporem aut tuberculum, aut convulsionem articulorum, pulmonis aut adhaesum, sectio, ustio, aut maturatio flagitabatur; omnia in ancipiti erant.

— — Post magnam purgationem convaluit. Eruerant paulo ante ambustis similes pustulae? an quia splenicus? ultimae dejectiones albicabant: an quia abscessus ruptus est? praeter spem convaluit. In epicrisi hujus historiae ait *Ballonius*: in febrium ineuntibus paroxysmis praeter consuetudinem quaedam symptomata apparent, aut ingens capitidis solius dolor, aut brachii aut cruris, aut velut incubus, aut suffocatio; nonnullis quedam contractiunculae convulsionibus similes.

§. 743.

Catarrhosis, a quibus manat a capite subtiliosus ichor, bene coloratas videmus; notae, quibus colligas, istam coloris bonitatem, a causa morbifica pendere, hae sunt si cum isto rubore non acute audiat; item si cum bene videatur habere, paucis cibis repleri, contentumque se esse dicat.

§. 744.

Κατ εξοχην dicitur febris τυφοδυς, cum hepar est inflammatum; quemadmodum χρυμωδης, cum pulmo est inflammatus et ερυσυπελατωδης et λειπυριχ, cum ventriculus est affectus, quo in sensu audiendum illud Hippocratis: *leipyriae febres non solvuntur, nisi cholera morbo superueniente*: id

est, erysipelas in ventriculo ob inflammatam in eo bilem, et aestuantem non solvit, nisi evacuatione bilis sursum deorsum in modum των χολερικῶν, ut loquitur in epid. id est, cholerae morbi.

(Patet aliud recentioribus esse febrium erysipelatosam, quam fuerit antiquis. Nobis est, febris inflammatoria; antiqui inflammationem vocarunt quemlibet ardoris sensationem, etiam a biliosa saburra provenientem. Hepatis inflammatio sive febris τυφωδης non videtur semper fuisse vera hujus visceris inflammatio, sed saepe saburra biliosa. Stoll).

§. 745.

In phrenitide inflammatoria non delirant τα πολλά, sed semper.

§. 746.

Galenus ait: delirare solent aliqui ob vitium, quod in ore ventriculi existit, et in febribus ardentibus et in peripneumonia, et in pleuritide, sed deliria ob affectum diaphragmatis, non multum distant a phrenitide. Quippe per ceterarum partium affectus atque per febres ardentem delirium mitigatur, quoties morbus, id est aut peripneumonia, aut pleuritis, aut καυσος declinat. At phrenitidis propria nota est, ut ne in declinatione febrium quidem quiescat delirium. Quum enim propria cerebri sit affectio, paullatim accedit, sed quiescere subito atque affatim non solet.

(Videmus a Galeno cognitum delirium biliosum, quando dicit, dari delirium, ob vitium, quod in ore ventriculi existit. Delirium quoque idiopathicum, a sympathico bene Galeno. Stöll).

§. 747.

Ballonius ait: nescio qui fiat, ut morborum cerebri et notitia et curatio difficillima sit: notitia quidem, quoniam multi convulsivi sunt, pavoribus consternati, phrenitide, apoplexia, epilepsia sublati, lethargicis affectibus oppressi, sideratique, in quibus nullum fere vestigium malii, aperto cranio inventum est, nec sanguis, nec aqua, nec ichor, quamquam medici, qui historiam morbi vidissent, et terrifica symptomata observassent, certo affirmarent, sibique persuaderent, se aut inter membranas, aut in cavitibus, aut alia in parte, aut abscessum aut sanguinis aut aquae copiam deprehensuros: et nos saepe in ista alea versati sumus, primariosque medicos versari vidimus.

§. 748.

Hippocrates vocat morbos, lethargos, quorum ratio fere eadem est, ac peripneumoniae. Fit autem, cum focus febris continuae est in pulmonibus, et si obstructi sunt valde, et humore crasso, putrique pleni: qui enim ab ea materia fumi excitantur, dum obruant anteriores cerebri partes, lethargicon inferunt, et καρπωδες et ιχωματωδες et ab eo accidente quoniam aegri oblivious, socordes, veternosique jacent, affectus ληθαργος dicitur.

§. 749.

Aetius, *Fernelius*, *Galenus*, et *Rondeletius* suas habent historias de catalepsi, quibus colligas modo ab his, modo ab illis causis pendere.

§. 750.

Hippocrates catalepsin I. 2. de morbis vocat φροντιδα.

§. 751.

Hippocrates in coacis ait: sanguinem spuentibus confert, ut sint sine febre, leviter doleant, sputum tenue sit ad dies bis septem; febrire, tussire contumaciter et recentem semper sanguinem excernere, malum.

§. 751.

Ballonius ait: in validis tussibus, praesestim cum inanes sunt, dolorem audivimus tantum in ventriculo natum, ut necessario opitulandum ipsi ventriculo fuerit. — — quemadmodum difficultas respirationis facit, ut vi sympathiae dolores in partibus ventris inferioris oriantur, sic difficultas aliqua spirandi oritur ob laesionein doloremque partium in ventre contentarum, et tunc est opitulandum partibus ventris inferioris relictio thorace et partibus ejus — — Causa saepe latet in hypochondriis.

§. 752.

Qui tussiculosus est, stridulam habet vocem, impeditamque, praeter rationem emaciatur, dum genae rubicundum, floridumque aliquid habent, et in ceteris pendulae videntur, *pulmonicus* esse dicitur, sive πλευματικός id est tabidus aut phthisicus esse.

§. 753.

Diuturnus lateris dolor, qui ordinariis remediis non cedit, teste *Hippocrate* l. I. coac. in suppuratum abit. Tuberculum tunc in pulmone esse *Ballonius* asserit.

§. 754.

Hippocrates l. 2. de morbis describit morbum, quem vocat σπασμον του ορδρου του πλευμονος, sive convulsionem articulorum pulmonis.

§. 755.

Galenus docet, siccus non ferre evacuacionem sanguinis, id est, quibus alyus sicca, et qui squallidi sunt.

§. 756.

Omnes fere hypochondriaci per sympathiam quandam occultam thoracem dolent, et medici existimant in pulmonibus latere malum, aut in costis, cum id fiat tantum ratione dispositionis hypochondriacae, in qua flatus excitantur pessimi, qui oberrantes dolorem pectori inferunt. Unde etiam ante diximus δυσπνιαν contingere posse propter affectum et mesenterii et ventris inferioris.

§. 757.

Hippocr. praeclara *praecepta* dedit §. epid. de instituendis purgationibus: in purgationibus instituendis, ventres subpurgabis in morbis, cum matura fuerint, infra, ubi confidisse videris: signum habens, si nec anxii aut capite gravati fuerint, aut cum post exacerbationes cessarint: sursum vero in exacerbationibus: tunc enim sera sponte elevantur, cum anxii et capite gravati fuerint, ac se jactarunt.

§. 758.

Incredibilia sunt symptomata, quae eveniunt in principiis accessionum. Hinc Hieronymus Gabuinus narrat, quemdam juvenem vidiisse se febre quotidiana laborantem, qui, simul ac accessio prehenderet, syncopizaret, deinde epileptico modo convellebatur.

§. 759.

Caveant medici praedicere, scilicet deprehensuros se aliquid in capite eorum, qui morbo cerebri obierunt.

Videmus in paucorum dierum febre corpus ita saepe resiccati, ut marasmodes pene reddatur: id quod maxime biliosis accidere solet.

In quibusdam morbis τασις τις, in quibusdam λυσις. In quibus, est lysis, deterior natura est, deterius ingenium.

Ballonius ait: inter locos, quos unquam legi, celeberrimus est l. 2. Prorrh. quum loquitur περὶ αναρρηξηὸς αἰματος, id est, de excretione sanguinis per os, atque ait Hippocrates, inter haemoptoicos evadunt, quicunque dolores habent melancholicos et in dorso et in pectore, quasi hi minus laborent et periclitentur quam alii. Accedit et id, quod notavimus de Catonio Crespieensi Valesio in viro des Nonnains d'Hierre qui excrevit ingentem copiam sanguinis nigri, apyretos, et habitu valde melancholico est. E regione lienis in ventriculum eructabatur, et miraculo evasit. (videtur probatissimum, dari in pulmonibus quorundam hominum biliosorum siccorum, squallidorumque praecipue, varices aequae ac in eorum intestinis, ano, ventriculoque; remediis indicatis adhibitis juverit fors fumo adstringente et roborente vasa pulmonica roborare interne solventia ex sero lactis etc. dare, et alvum servare lubricam; lichen, cortex, balsama omnia assueta, et adhuc magis vere adstringentia medicamenta insigniter nocent, alvum stringendo, siccum per se squallidumque corpus densando, siccandoque. Stoll).

§. 763.

Porro, quod ad melancholicos pertinet, ii
saepe sunt flatuosi: flatus enim maxime facit ad
ruptionem venarum, et proinde ad sanguinis re-
jectionem. (*Melancholicis saepe faciunt, ut vasa
sanguifera rumpantur.* Stoll).

§. 764.

Qui hypochondriaci sunt et flatibus abun-
dant et cruditatibus; utrumque imaginationem
pleuritidis afferre potest, quia et in cruditate
ipsa, et flatuum copia facile thoracis dolor exci-
tatur.

§. 765.

Pulmonicis, ait *Ballonius*, efflorescunt non-
nulla in cute circum pectus aut scapulas, et ta-
lia sunt signa contentae materiei in pulmone;
cum apparent pustulae in aliquo, videndum,
num id sequatur vitium quoddam particulare par-
tium internarum.

§. 766.

Fluor muliebris praesertim foedus et efferus
non tam repente adoritur. Sed vulgo quae mu-
lieres *póov* istam patiuntur, primum aliquas sen-
tiunt in sinu pudoris humiditates, quae dum tem-
pore augescunt, acore quodam in utero contra-
cto, tandem verum *póov γυναικετοv* inferunt. —

— — Fluor iste symptoma est consequens mor-
bum aliquem aut corporis totius aut partis. (Duo
haec signa sunt quasi diagnostica, fluorem album &
gonorrhœa distinguentia. Stoll).

§. 767.

Duplicem *Ballonius* fluorem album statuit,
universalem, qui ex vitio totius corporis oritur,
et *particularem* ob affectum ipsius uteri proprium.

Ballonius ait: cum genitalibus morbis thora-
ci magnum est commercium, unde catarrhosas
mulieres et pituita in pulmone abundantes, op-
portunas fluori muliebri videmus, transfuso a tho-
race in uterum humore.

§. 769.

Pleraeque mulieres mensium suppressionem
semestrem sine noxa patiuntur, aliae non patiu-
tur bimestrem sine graviore damno, praesertim
si vel facile corruptibilis sit sanguis, ut quibus-
dam evenit, aut si jam a primo ortu aliquod
malae indolis habuerit, aut si raptus fiat ad no-
biles partes. Est enim valde notandum illud *Ga-
leni*, sanguinem supprimi in muliere aliquando
non propter paucitatem, aut vitium aliquod con-
formationis in utero, aut aliquid simile, sed
quia sanguis prae suo rubore ad alias partes de-
fertur.

§. 770.

Fernelius ait fluorem album venereum etiam
prorumpentibus mensibus persistere; at vero fluo-
rem album non venereum durantibus mensibus ces-
sare. (*Falsum id esse, vidi in nosocomio practico.
Stoll*).

§. 771.

Omnium deterrimus est $\rho\circ\circ\zeta$, qui et qualita-
tem malam habet, et perpetuam habet genera-
tionem, sive ea sit in toto corpore, sive in una
parte — — tamen si adest, non continuo sup-
primendus — — pravam dispositionem primo
tollere oportet. — — Est ergo ubi fluor uteri-
nus ad tempus juvat. At si humiditas tantum
quaedam simplex circum pudenda appareat, et
certo colligas, aut ob humiditatem corporis mul-
tam,

tam, aut ipsius uteri id evenire, aut quandam uteri laevitatem esse, sine metu ullo ad suppri-mendas illias superfluitates accedere possumus, quod notandum ad legitime adhibenda remedia.

§. 772.

Apud Hippocratem locus est valde commemorabilis: docet mulieres biliosas non impune sanguinis evacuationem per uterum ferre — — a tali evacuatione incident in ολιγοφοχιαν; cibi fastidio, anxietate et vigiliis occupantur: at si alvus turbetur, bonum, et item ροος χολωδης per uterum confert, sed non per multos dies nec magna copia. (*Idem universaliter de omnibus biliosis dici potest; sanguinis evacuatio per se ipsis nocet, confert impense purgatio et vomitio.* Stoll).

§. 773.

Ulcus uteri suis se signis prodit, tum ex qualitate materiei fluentis, tum ejus, quae praecessit, tum a dolore petitis: accedit congressus difficultas ob dolorem, qui excitatur, maxime si circa collum ulcer lateat — — fluorem album maxime ab utero esse (*id est, ex vitio topico ipsius uteri*) colliges, si circum os pectinis aut in partibus internis ad uterum dolor quidam profundus sit, si menses suppressi sunt; credibile enim, circa uterum stabulatum esse humorem, qui mora vitiat uterum — — si corpus bene habitum sit et floridulum, credibile est, ab utero potius esse. Sin corpus pallidum, aut biliosum, aut melancholicum, vel in toto, vel in parte, illinc pendere ροον probabile est.

§. 774.

Aqua intercute laborantibus muliebria diutius perseverant. Item *Galenus* ait: si crassiores fuerint, humores difficilius fluunt quam ii, qui secundum naturam sunt, longius tempus exspectant etc.

§. 775.

Pleraeque foeminae fluore albo tentatae, pulmonum morbis a defluxione corripiuntur.

§. 776.

Corpora humidiora natura, sunt morbosiora, si verum illud aph. l. 6. queis natura nares humidiores, et genitura humidior, minus integra sanitatem fruuntur: quibus contraria, salubres degunt. Item in Epid. quibus natura nares humidiores, genitura humidior et copiosior, hi morbosius sani sunt.

§. 777.

Quis dubitat, quin aliter sese gerere oporteat *toto corpore* affecto, quam si vel *pars una*, vel *uterus ipse* laboret. Quin etiam dispositionis varietas rem quoque variat. Nam in quibusdam est *frigiditas* et *humiditas* multa nativum calorem obruens causa hujus rei; in aliis vitium *ventriculi* et *primae regionis*, ut in iis, quae foedos quoque colores, et in talibus foetet anhelitus, ructus adsunt cachexiae signa, luridi sunt dentes, gravedo, tumor pedum aut corporis: est enim prava chylosis, seu pravitas, ut loquuntur practici, digestionis — — — in nimia humiditate et refrigeratione ortaque inde fluore abstinentum:

1) Ab adstringentibus, ventris enim tumor et hydrops inde oritur.

2) Habenda est ratio ventriculi.

Rondeletius bonus medendi magister in curando c'oo abstinet praesertim a pillulis officinarum , quod constent ex calidioribus , et iis , quae tenuitatem partium majorem habent : sed non omnino prohibet eadem remedia , quum fluor a pituita est.

